Chiesa
Nobili
Carmagnola
Historia
Pedemontii

Illustratio
Historica
Undecimi Capitis
chronologicæ Historiæ
Præsulum Pedemontii
auctore
D. Francisco
Augustino
Ab Ecclesia
Cive, et Episcopo
Salutiarum.

Discussio
Tenebricosæ Illustrationis Auctori
chronologicæ Historiæ de Præsulibus
Pedemontanis Inscriptæ
Qua præcipuæ quæque Calumniæ
in ea Illustratione Astensi nomini -
offusæ, datis singulis obiectis propriis
Responsis disiiciuntur.

Hoc M.S.ptum sexaginta duobus
folijs constans attinet ad me Vincentium
Malacarne

Chirurgiæ Professorem, et
in Arce, ac Taurinensis Urbis Præsidio
chirurgum Majorem.
cujus jussu, directione, et expensâ fuit
exaratum
Taurini Anno 1775

Illustratio Historica
Undecimi Capitis Chronologicæ Historiæ Præsulum Pedemontii.
Auctore
D. Francisco Augustino
Ab Ecclesia
Episcopo Salutiensi.

Abstergant ab oculis suis homines, vanos opinionum, et passionum fumos, pauciora inter ipsos occurrent absurda. Astensis quidam falsa originis patriæ suæ opinione deceptus, supercilio per nimium fastum elevato, patria libera gloriatur: ignarus scilicet, eam potius impii martis, grassantisque inter Ecclesiam, et Imperium dissidii maleficio, quam propriarum virium, et virtutum beneficio, aliquot annorum fuisse libertate donatam. Quod non solum multis aliis tum Pedemontii, tum Lombardiæ Civitatibus contigisse compertum est, verum etiam et municipiis obscuri nominis: nimirum temerariis illorum tum ausis obstetricante fortuna, quæ excusso propriorum Dominorum iugo, cum aliis, quæ idem fecerant, inito fædere, sibi mutuis auxiliis invicem succurrebant, quod et hodie in Helvetia Republica, et Gebennensi Civitate videre licet.

Obiecta in Prologo Illustrationis

Pag. 1. linea 15. Ignarus, eam potius impii martis, grassantisque inter Ecclesiam et Imperium dissidii maleficio, aliquot annorum libertate donatam. Quod aliis Lombardiæ Civitatibus compertum est

contigisse: nimirum excusso propriorum Dominorum iugo, quod et hodie in Helvetica Republica, et Gebennensi civitate videre licet.

Præpropere sane hic Magisterulus, qua fide in Astenses agere instituerit, manifestum facit, Quippe cum alibi in isto libello, rerum Italicarum historias callere præ se ferat hic tamen imponere nititur Lectori affirmando Astam, aliasque Lombardiæ Civitates grassante bello inter Ecclam et Imperium, hoc est inter Alexandrum III. et Federicum I. excusso Dominorum iugo libertatem esse assecutas.

Constat namque primum + Longobardos, eodemmet armorum jure quo antea Romani Romanis ipsis exactis universæ Galliæ Cisalpinæ dominium assecutos: regnumque in ea, ab eis Italiæ dictum instituisse. cumque illo ab anno 570. ad 774. potiti fuissent, + Carolum Magnum, devicto, captivoque abducto eorum rege Desiderio, eo ipso armorum jure, idemmet Italiæ regnum regnis suis Germaniæ et Franciæ adiecisse. Tum novam formam illius administrandi, ex Sigonio in Clypeo traditam ad Belum 2. et 3. Sancivisse pro Ducibus scilicet, qui antea singulas civitates in Feudum tanquam Regis beneficiarii, obtinebant, singulos Comites, ad tuenda iura regi reservata (ac propterea regalia dicta) adque iustitiam ex voto aliquorum aliorum iudicum administrandam unicuique earum præficiendo. Quos quidem Comites nequaquam uti illarum Dominos (ut antea Duces) sed tamquam temporarios Præfectos, eas Civitates gubernasse, et affirmat idem Sigonius, et illorum temporum publica monumenta perspectum faciunt. Ab istis vero Comitibus eædem Civitates Ducatus titulo a Longobardis olim insignitæ, ab ipso Carolo in suo Testamento + Comitatus appellantur. Quæ autem istæ fuerint, exploratum habemus ex eodem Testamento. In eo siquidem Carolus tria sua prædicta regna inter tres suos filios partiturus regnum Germaniæ Carolo natu maximo: Franciæ Ludovico secundogenito, Italiæ Pipino postremo natorum attribuit, sanciendo ut Francici, Italicique regni termini essent illæ eædem Clusæ, + quas Longobardi pro regni sui termino, ac munimine sub monte Porciano (cui insidet celebre S. Michaelis Monasterium, et subest S. Ambrosii Oppidum) extruxerant,

+ Paulus Diaconus de gestis Longobardorum. Sigonius de Regno Italiæ in Alboino

+ Idem Sigonius. Anastasius Bibl. Annales Francor. in Carolo.

+ in Biblioth. Pithæi edita Parisiis.

+ Annales Francor. Anastas. Sigon. in Carolo.

//

indeque murum ad montem Caprinum deduxerant; cum Alpibus Italiam a Galliis dividentibus, his verbis. Aquitaniam, Vasconiam, et Saboiam, Moriennam, Tarantasiam, Montem cinisium, Vallem Secusinam usque ad Clusas, et inter terminos Italicorum montium usque ad mare Ludovico dilecto filio assignavimus. Italiam vero, quæ et Lombardia dicitur, Pipino dilecto filio nostro. Ex qua horum duorum regnorum discretione evenisse credimus, quod marchionatus Secusinus intra Francici regni terminos constitutus, Abboni patritio in feudum pro ipso, et posteris, a Carolo fuerit concessus: cum Italici regni marchionatus eodem modo quo civitatum comitatus tanquam temporariæ Præfecturæ conferri solerent, uti apparet ex variis notis publicis in quibus fit mentio quorundam virorum nobilium, dicendo: quod ipsi vel eorum patres fuerant Comites Astenses, prout notavit Sigonius dicens. Limites Marchas vocantur, unde Præfecti Marcharum Comites, et Marchiones dicti. Marchiones quidem, quod eædem Marchiæ ipsis traderentur, ut armis illas custodirent. Comites vero quod eadem facultate juris dicendi in Marchis, qua Comites in Civitatibus intra regnum constitutis ita potirentur, ut tamen ab eis omnibus ad Regem ipsum, seu ad Comitem Sacri Palatii Ticini residentem provocare liceret. In iis vero regni Italici Civitatibus fuisse Astam, tum situs ipse urbis citra Clusas consistens, tum monumenta publica in Clypeo ad Belum 2., et 3. allata, de Curte Ducatus, et de Comitibus, ac Judicibus mentionem facientia, aperte docent.

Constat secundo Ottonem I. Italiæ Regem, ac Imperatorem Magnum item dictum, præscriptam a Carolo regni administrandi rationem aliquatenus immutasse✝. Ipse namque Marchiones ex temporariis perpetuos, superiore sibi reservato jure, inquit Sigonius, constituit, et intra ipsum regnum Almaranum (quem ipse Otto in ✝ investitura illi concessa, Aledram vocat) generum suum Marchionem declaravit Montisferrati; quæ regio eo iam tum nomine, inter Padum, et Tanarum vocabatur. In qua præterea investitura ita loca omnia, quæ tum habebat, vel in antea adquirere posset, Aleramo confirmavit, ut etiam illa in quoscumque, ac quomodocumque vellet, transferendi facultatem tradiderit ✝. Civitates vero regni, idem Otto, tributarias quidem, sed liberas reliquit

✝ Sigon. lib. 7. an. 977.

✝ Diplomate dato Ravennæ a. 967. x. Kal. April.

✝ Sigon. ibidem

Quam libertatem in eo fere posuit, ut leges, consuetudines, jurisdictionem, Magistratus vectigalia sui ferme juris, atque arbitrii haberent: ita tamen ut Sacramentum Regi dicerent. Quo circa ii, quos ad regendam Civitatem, et iura moderanda, post hac crearunt, usque ad Federicum I. Consules duo, aut plures fuerunt, ex antiqua Rom. reipub. consuetudine sumpti: qui quot annis ex singulis Civitatibus creati, aut ad Episcopum Civitatis aut apud Nuntium Regis iurarunt.

De quo iuramento proculdubio intelligenda sunt illa verba, quæ Conradus II. facultatem cudendæ monetæ Astensibus civibus concessurus, præmisit dicens: Eos vero attentius confovendos arbitramur, ac propensiori libertate donandos, qui debito fidelitatis nobis arctius obligati, in nostro, regnique servitio cura pervigilis continue mancipantur. Quæ verba simul probant hanc Civitatem sub dominio immediato regis, simulque imperatori (post unitum in Ottone I. Romano imperio regnum Italiæ) rem suam publicam cum cæteris, de quibus agit Sigonius administrasse. Diplom. dat. an. 116[…] Indict. III. an. regn[…]

Constat tertio ab Henrico IV. cum aliis rationibus auctam, et firmatam eiusmodi civitatum libertatem, tum ex eo præcipue, + quod (ut idem Sigonius ait), non tantum castra, seu loca, quæ intra Diœcesim uni Regi erant subdita, civitatibus se addixerunt, sed etiam nobiles viri, qui alias Regis beneficio possidebant, ex illis ultro donarunt, atque ab earum Consulibus redonati, earumdem se beneficiarios effecerunt: aut certe alia ratione, in eorum se patrocinium contulerunt. + lib. X. ad an. 1[…]

Constat quarto, quod cum Federicus Enobarbus Regalia, quæ antecessores sive Episcopis, sive Civitatibus concesserant, sibi statuisset asciscere, ad idque apud Roncalias, Episcopos omnes Regni, omniumque Civitatum Consules advocasset: in eorum conventu (ait + Sigonius) de hoc regni iure constituendo retulit. at eius cognitionem Bononiensibus jurisconsultis, ac aliis ex Lombardia adiunctis IX. Kal. Decemb. anni 1158. commisit. Cumque jurisconsulti iudicassent Italiam Imperatori, iure a Carolo magno tradito, universa regalia debere: tum Episcopi omnes (Mediolanensis Archipræsulis exemplum secuti) tum Civitatum Consules in ipso conventu, Regalia

+. L. 13. ad an. 1158.

=

omnia dimiserunt quæ tamen ad Fiscum regium ita-sunt relata, ut iis vel Episcopis, vel Civitatibus, quæ probare potuerint se ea legitima regum concessione possedisse, Federicus de novo iisdem illa concesserit.

In iis porro civitatibus, quibus hac ratione Regalia de novo concessit Federicus, fuisse Astam apertissime probat ipsiusmet Federici diploma datum tertio mense a prenarrata cessione de Regalibus facta: et septimo ante Alexandri III. electionem: cujus occasione ortum fuit bellum inter Ecclesiam et Imperium, de quo hic auctor. Dum namque Federicus Astensibus, seu eorum consulibus, concedit Monetam a Conrado patruo illis-iam concessam, et districtum villarum, asserendo, quod soliti essent illum habere, manifeste ostendet verba,-quæ huic Diplomati pro titulo præmittit Alferius,-nimirum = De libertate, et concessione facta Communi Astensi de villis veteribus a Federico Barbarubeo. Non quidem pro aliqua nova concessione, uti excogitavit hic auctor, sed pro eorundem iurium confirmatione, seu remissione esse accipienda. En tibi diploma-ad litteram. In nomine &c. ‡

in S. Alferii de Act. Astens.

Non contentus (inquam) loco, quem Astenses inter Pedemontii populos sibi iure vindicare possunt, rudibus Historiarum, et antiquitatis persuadere nititur, suam illam patriam antiquitate principii, origine Episcopatus, Templorum, Monasteriorum, Turrium, fabricarum, et publicarum, et privatarum magnificentia, Dominii,-quod olim possedit amplitudine, titulorum decoribus,-illustrium familiarum numero, suorum Civium in Dominos suos, tum spirituales, tum temporales,-fide incorrupta reliquis Sabaudiæ Ditionis urbibus-esse longe superiorem.

‡. De hoc diplomate vide Capituli IV. illustrationem ubi eas, quæ ab Episc. Salutiensi omissa consulto-fuerunt addenda esse a-nobis censuimus, et-subsignanda.

Ead. pag. 4. lin. 7. (non 22. ut in editione hac Lugdunensi) „ Persuadere nititur suam patriam, reliquis Sabaudiæ ditionis urbibus, esse longe-superiorem =

Ut Astensibus invidiam confles hæc te comminisci liquet. In ipso etenim Clypeo, ad huiusmodi tuas-imposturas potissimum revincendas denuo-imprimendo, nullibi legas Astam cuiquam alij civitati, in iis, quæ tu enumeras (una dumtaxat vocatione ad fidem excepta) comparatam: multo vero minus prælatam.

Hinc ambitiosa, et inani præsumptione gloriabundus, tamquam Clypeum Argivum abstulisset. Sub nomine Concilii suæ Civitatis enixus est libellum, cui Titulus: Clypeus Civitatis Astensis ad retundenda tela, quæ Auctor chronologicæ Historiæ de Præsulibus Pedemontanis in eam intorsit, partum informem, mendis scatentem, a veritate omnino alienum, et qui malevolum in nos sui parentis animum facile testatur. Nos siquidem cum in chronologia nostra non exiguis laboribus, lucubrationibus, et vigiliis, iacentes in cæca oblivionis caligine illius urbis uiros illustres, et insignia illorum gesta suscitaverimus.

ead. pag. 4. lin. 22.

" Nos iacentes in cæca oblivione illius urbis viros,
" et insigniora gesta suscitaverimus. =

Supervacanea, et inofficiosa hæc cura fuit. Supervacanea, quia iam editum fuerat Compendium Historiale huius Civitatis, in quo de ea insigniora quæque indicantur, cum de ipsius Episcopis tantum agat auctor chronologicæ Historiæ; qui percipiens propediem in lucem proditurum eorundem Episcoporum, ac aliarum Civitatum huius ditionis Catalogum in Italia Sacra Abbatis Ferdinandi Ughelli, qualicumque modo præripere meritum huic debitum conatus est.

Inofficiosa item, quia ex quo ratio institutæ historiæ exigebat, ne prætermitteretur Asta, quæ idem Auctor reticere non potuit decora, affecit probris commaculavit. =

Cumque in brevi nostra Relatione, de situ illius urbis, (ut et de reliquis factum est) nihil omiserimus, quod ad illius encomium facere videatur, et maluerimus, nimis facili, sed modesta credulitate habere fidem illi inscriptioni, quæ de illius origine circumfertur, quam eam impugnare, ut nullo negotio poteramus, probantes eam nec legitimam esse posse, neque factam tempore Pompeii, cum apud Romanos nulla adhuc neque Gomer, neque contemporaneorum eius haberetur cognitio, sed multis post sæculis suppositam, ut patet ex diversis scriptorum etiam Astensium opinionibus, qui de Urbis illius origine meminerunt, non adducti spe mercedis alterius, quam quæ debetur de patria sua bene merentibus, et qui iam diu sepultos, et extinctos, luci, ac oris restituere conantur.

pag. 5 lin. 1. Et maluerimus nimis facili credulitate habere fidem illi inscriptioni, quæ de illius origine circumfertur

Ut lector quisque intelligere valeat quænam fides eidem inscriptioni sit præstanda, non abs re erit quæ de ea habentur, quæque illi suffragantur monumenta, etiamsi aliquanto magis fuse, quam pro ratione Responsi hic edere.

Franciscus Panis recolendæ memoriæ civis, utpote solertissimus indagator rerum Astensium, nactus Memoriale Raymondi Turci, qui ex antiquioribus memorialibus de rebus Astensium, exque aliis monumentis, suum Memoriale contexuit, in capite, quo agitur de Urbe Astensi a Pompeio Magno instaurata ista legens.^m Astenses autem, ad grati animi demonstrationem, ac ad rei memoriam in ingressu pontis Burburis erexerint arcum, et in illius summitate posuerunt illum lapidem cum ista inscriptione :=

GN. POMP. Q. XXII. REGIO. SOBACT. ASTAM
A. COMER. CONDIT. A. GALLIS. DEIROT.
RESSTAVR. POBL. LÆT. PP.

Hæc, dico, ibi legens Panis, simulque in quadam Scheda Bruti Salamonij legens, ipsum Brutum affuisse tum ex puteo antiquæ, sed tunc dirutæ abbatiæ SS. Apostolorum, Lapis ita inscriptus extraheretur, lapidem ipsum summa diligentia perquirere cœpit. Nec eum sua spes omnino fefellit. Siquidem maximam eius partem incuria, seu imprudentia Patrum, per longum dissectum, ac proliminari ianuæ Ecclesiæ S. Magdalenæ (qua in Mestrualibus Supplicationibus Sacratiss.^mi Rosarii in claustrum Patrum Prædicatorum aditus patet) locatam reperit. Unde in Scheda etiam ipse eumdem lapidem ea forma, quam ipsamet maxima pars ibidem extans, designare videtur, delineavit. Et hinc quidem literas in ipsamet parte scriptas exaravit: inde vero eas, quæ abscissæ, et nondum repertæ inerant parti (deducta a summo ad imum linea, quotanam esset pars, quæ extaret, et quota quæ desiderabatur, indicante) addidit hortationem ad cives, ut locum ipsum adirent, et ubi rem ita se habere perspicerent, non ultra tolerarent tantum neglectum rei, quæ conditionis suæ Civitatis tam firmum præbebat argumentum, sed lapidem ipsum inde elatum, sublimi, ac conspicuo loco

//

reponerent. Hanc vero Schedam cum Secundus Panis-Francisci filius nobis ostendisset, plures è nobilioribus civibus eo adduximus; et re perspecta, ad idem eo-fuimus cohortati; unde tandem, Petro Alberto Mazzetto Syndico, parsilla marmoris inde fuit ablata in aulas Palatii Civitatis, addita parte marmoris ac literarum, quæ desunt, collocanda.

Huic vero pervetustæ inscriptioni alia adstipulatur, de qua idem Raymondus hæc tradit.

Cum ego essem obses in Civitate Pollentii, in ecclesia maiori eiusdem Loci, in pariete, a parte dextera portæ majoris, vidi Lapidem magnum, in quo sunt hæc verba.

D. O. M.

Petro et Matthæo Fratribus. De. Novellis quod-Astenses. et Alios. Pollentii. Civitatis Hostes. Profligaverint. Patriæ. Libertatem servaverint. oram. Fere. omnem. quæ Janæ A. Comero. Tradita fuerat, Reipublicæ. Subiecerint Tandem. A Longobardis. sub Rotarit. Rege Dum strenue. Pugnarent. Cæsis

Poll. Cives. Grati. Animi. Ergo P.P.

III. Kal. Apl. An. DCXLII.

In margine vero huius inscriptionis leguntur hæc verba = Hic Lapis inter ruinas Ecclesiæ Pollentii inventus-delatus fuit Albam, et positus pro mensa altaris-ecclesiæ chathædralis = cuius rei memoria adeo-Albensium animis insedit, ut cum Carolus Emanuel, expugnata Alba, Cathedralem adiisset, Albensium-optimates illi significarent, in Lapide olim Pollentia advecto, arœque maximæ imposito, inscriptum-fuisse nomen conditoris Astensis urbis, quod cum aliqui ex iis, qui tunc aderant, Illustrissimo-moderno Episcopo Paulo Britio, hic ✠ Lapidem amoveri curavit, illum, si inscriptio adhuc inesset, in Episcopali Palatio a se magnifice instaurato, et ornato, collocaturus. Quumque vero Literæ ipsæ, uti dignitas mysteriorum, ad quæ Lapis ipse destinabatur, exposcebat, -obliteratæ fuissent, ipsa tamen litura, intra recta spatia contenta, formæque inscriptionis respondens, dictis civium plenam fidem, et authoritatem addidit.

✠ Fides ipsiusmet [...] data 18. Decemb. 1[...]

Ne vero quis suspectam eam habeat, quod Pollentini eo tempore, cum Longobardis, tunc rerum potentibus-armis decertasse dicantur, intelligat ex Paulo, ✠ et-Sigonio Rotharit regem anno 638. adiicere cœpisse-

✠ Paul. Diacon. L. [...] Sigon. L. 2. an. 6[...] Rotharit.

suo regno eam partem Alpium Cottiarum, quæ eo usque Romano Imperatori Constantinopoli residenti paruerant.

Continebat porro antea hæc Alpium Cottiarum provincia quidquid situm est inter Berthonam, mare Ligusticum, et Alpes Pedemontio imminentes.

Paul. Diacon. L. 2. c. XI.

His duabus inscriptionibus tertiam addit Raymundus versibus hic subiiciendis exaratam, sed ab ipso quoad rationem, ob quam hæc urbs Asta fuit dicta, pro vana habitam. Sunt porro hi versus.

= Olim habuit nomen populus de nomine Jani,
= Janus enim primus terram hanc cultoribus auxit.
= Dicitur Asta modo. Nam cum sibi casserit hasta,
= Pallantis, nigrique ferax Pollentia villi.
= Novum adepta nomen est urbs sic nomine Jani
= Janarus ipse solus gaudet nunc nomine prisco
= Cumque hasta primum perdit Pollentia robur.

Silius L. 8. Plin.

Extasse autem hunc lapidem tempore Marci Antonii Natæ cognovimus ex ipsius Scheda inter collectanea Panis item inventa; sed quæ descriptos habeat tantum quinque primos versus integros, et maximam partem sexti: et simul sententiam ipsiusmet Natæ circa denominationem huius urbis. Quæ cum sententiæ consonet Raymundi, et ne tanti viri hoc monumentum intereat, iuvat illud totidem verbis hic reddere.

Hic Lapis in ædibus illorum de Regibus, iuxta S. Petrum de Strata, quondam infixus fuit, et ab ipsis ædibus extractus anno 1136, et a Bartholomeo de Regibus in Palatio suo, quod apud Quartum extruxerat, super portam positus fuerat. Quem inde propter bella tulerunt illi de illa familia. Et ego eum vidi in Curia ipsius Palatii prope Quartum, et a domino Raynerio de Regibus compatre meo audivi supradicta. Qui etiam mihi dixit se semper vidisse finem penultimi versus, et totum ultimum vetustate consumptos. Et qui ipsos versus composuerunt, sicut et alii putaverunt Astensem Civitatem sic dictam ab hasta Pallantis, qui Pollentiam, seu Pollentium ædificavit; et ob hoc scribunt eam cum alii dicunt eam ab hasta Pompei sic dictam, asserentes Pompeium in loco, ubi Civitas nunc est, hastam suam fixisse, ac dixisse: hic hastam meam planto, hæc erit hasta mea. Quæ mihi videntur fabulosa, imo falsa. Siquidem vidi aliqua memorialia de hac Civitate sub nomine Ast, continentia res gestas per plures annos antequam esset in hoc seculo Pompeius. Et ut, quod ego sentio, in medium proferam, existimo Civitatem hanc a Conditoribus, secundum præfata memorialia fuisse vocatam Janaream. Deinde

//

cum civitas crevisset opibus, potentia, nobilitate, ac numero civium præ aliis circa oppidis, existimaverunt illi convenire nomen Astæ, a dictione Græca Asty quæ dictio Urbem significat; quasi ea sola, vel præcipue inter alia oppida, nomen urbis, seu civitatis mereretur. = Marcus Antonius Nata.

Idem denique Raymundus, in comprobationem Tanareæ denominationis, quartam affert inscriptionem, quam Vallerandus Troja (erat hæc familia Patritia, a qua constructum fuit Palatium De Troia dictum, turri horariæ iunctum, quod excellentissimo marchioni Ghironi Francisco Villæ cum comitatu Camerani, et aliis juribus Asinariorum materna hereditate obvenit) ericii se legisse perhibebat in hac forma.

= Duratio. Tanareorum. Rectori. Viro. Integerr.
= Ob. pacem. Inter Ligures. et Tuschos
= De. Finib. Contendentes. compositam
= Terminis. Ad. Macram. Positis.
= Ligurum. Resp. Memoriæ. Ergo. P.

Quibus inscriptionibus in argumentum, quod hanc regionem incoluerint mortales diluvio proximiores, accedunt grandia ossa, quæ effossis sepulchris, per eam identidem miratur posteritas. Ut namque remotiora sileantur, in ipsa urbe, prope Ecclesiam S. Sixti intra alte egestam humum apparuere fragmenta ossium tam vasti cadaveris, ut dentes (qui soli integri perstiterant) nucis magnitudinem excedant.

Et anno 1634. in finitimis collibus Montisferraten. ditionis, effossum fuit aliud giganteum cadaver, cuius cranium æquat mensuram heminæ; quæ circiter quinquaginta Libras tritici pendet: unde Eques Cerrutus in iis regionibus tum armis præfectus, domum suam apud Montem regalem illud detulit, in rei fidem, ac miraculum, ostentandum.

Pag. eadem & Lin. 4. Probantes eam inscriptionem nec legitimam, neque factam tempore Pompeii; cum apud Romanos nulla adhuc neque Gomer, neque contemporaneorum haberetur notitia.

Optima ratio hæc esset si marmor illud Romæ non Astæ fuisset inscriptum.

Sane tam ingratum animum sudoribus nostris reprensum iri non sperabamus; ut falsitatis mendacii, impietatis aliorumque scelerum cum summa //

nostri nominis infamia argueremur

Pag. eadem c. lin. 14. ut falsitatis, mendacii, impietatis aliorumque scelerum, cum summa nostri nominis infamia, argueremur.

Conside mecum, quæso te, Magistelle, ac depulsa a livore iniecta mentis caligine, edicito qua in re, quove in verbo à nobis in Clypeo chronologicæ Historiæ auctorem offensum reperias. Lege, si placet, ac perlege quam diligentissime Clypeum; certe nullum verbum iniuriosum reperies dictum, imo nec quodquam amarius eo, quod habetur initio Teli V. nimirum = Mirandum sane, ne dicam indigne ferendum, virum sacrum, eoque loco, qui perfectionem exigat, constitutum in historia sacra, non vereri civitatem, a qua minime sit læsus ejusdemque cum sua ditionis ita lacessere = Quandoquidem illatas Astensi civitati injurias persequi minime propositum nobis erat, sed id unum monstrare, quod ipsamet Apologiæ ratio exigebat. Hoc est non esse vera, quæ in chronologica Historia maioribus nostris obiiciuntur crimina. Qua ex re nequaquam inferri potest, quod non dico impietatis, aliorumve scelerum, sed nec falsitatis, aut mendacii ille insimuletur. Nam ex communi sententia aliud est non verum dicere, aliud mentiri, vel falsum loqui. Hoc enim supponit fallendi mentem; illud non item.

Quod si nihilominus hoc illi molestum fuit, meminisse debuerat a viro + sapiente dictum

Iob. 4. Qui seminat dolores et metet eos

Quæ enim seminaverit homo (ait Apostolus) hæc et metet. ad Galat. 6.

Non alia de causa, quam quod gravissimorum auctorum opinioni adstipulantes, historica veritate ostenderimus; qua ratione illius maiores potuerint in tanta temporum perturbatione, et Reipublicæ pondus sustinere, et suam adversus vicinos Principes tueri libertatem, vel quia pugnante pro nobis communi opinione iis suffragari noluerimus, qui novum Sanctum Evasium excogitantes, Ecclesiam Astensem totius Pedemontii antiquissimam esse persuadere voluerunt. Itaque quandoquidem acceptis (ut aiunt) vulneribus salutarem medicinam adhibere, et adscriptos maioribus suis à Blondo, et Merula, aliisque scriptoribus fide dignis errores, specioso probabilis

excusationis velo paliare recusaverit, imo voluerit potius nodum in Scypo quærens, futili observatione prolatas in operis nostri contextu voces, et loquendi modos examinare, conqueri de verbis iniuriosis, quæ nobis nunquam venerunt in mentem, alias in sinistrum sensum detorquere, cogimur pro defensione nominis nostri, non sine imperitorum rubore, quam plurima vituperio digna explicare, quæ nos nescire simulantes, volontarii silentii nube involveramus.

Pag. 6. lin. 3. Conqueri de verbis injuriosis, quæ nobis nunquam venerunt in mentem.

Satisne sanus qui talia loqueris? Nonne iniuriosa sunt illa verba, quibus Astenses iniusti duntaxat Iuris suam libertatem esse dicuntur? Rebelles toties vocitantur? Episcoporum parricidæ, nedum sacrilegi expulsores, asseruntur? imo et hæreseos tacite insimulantur? Quæ quidem si nunquam in mentem, quomodo ad calamum venire potuerunt?

Clypeus Civitatis Astensis.
ad retundenda Tela ab Auctore chronologicæ Historiæ de Præsulibus Pedemontii in illam intorta.

Telum 1. pag. 169. lin. 10.

Asta iacet in finibus Alexandriæ.

in ipsa fronte impressus cernitur noti erroris character, quo monetur Lector ut subsistat, vel certe vel caute, suspensoque vestigio progrediatur: si in finibus Alexandriæ iacet Asta ad Regis Hispaniarum ditionem utique pertinebit. Id enim, quod intra fines alicuius dominii, vel universitatis situm est, ad illum dominum, seu universitatem pertinere præsumitur. Itaque dum conatur auctor propriis finibus hanc urbem nudare, subtrahit illam e dominio Regiæ Celsitud. Sabaudorum Ducum, cuius dominii ipsa Civitas, et olim se cupidissimam ostendit, quando a Carolo V. donata fuit eidem Sabaudicæ domui, ea conditione, ut Vassallorum ipsiusmet Civitatis consensus accederet, et deinde toties ab illius hostibus oppugnata, studiosissimam se probavit: ut vel ex hoc, titulo

fidelis merito eam honestasse dicendus sit † Thomas Edoardus illo versu a † Magino, et † Gerardo Mercatore comprobato.

† Poemate de urbibus Italiæ
† In Italiæ descrip.
† In Atlante minori.

Civibus humanis decoratur Asta fidelis.

Ut sileamus Alexandriam, utpote novam Civitatem, in finibus Astæ potius fuisse statuendam † cum pars illius agri, quæ cis Tanarum, et Burmidam iacet, ad Astensem tum spiritualem tum temporalem spectaret ditionem.

† Monu. Astens. Hieronymus Perbonus in opere Vuilliarum

Nos ergo breviter obiectionibus singulis sigillatim respondebimus, ut quemadmodum in unaquaque ipsarum dente Theonino, et aculeatis verbis laceramur, sic adducta dictorum nostrorum ratione, candidis Lectoribus palam fiat, nos iniuria, non iure indocti hominis vapulasse, et meram in scriptis nostris contineri veritatem.

Primum Telum, quod a nobis Auctor in Astensium existimationem arbitratur emissum, invenitur chronologiæ nostræ pagina 109. lin. 10. ubi in finibus Alexandriæ, Telum imbelle sine ictu, sine cuspide, nimis exacta ne dicam puerili trutina hoc verbum expendit, dum per hoc verbum Coronæ Sabaudiæ præiudicium inferri lectoribus persuadere nititur. Hic errorem typi subesse non inficiamur, lapsum sive impressoris sive correctoris incuria; cum pro finibus legendum sit confinibus, ut in originali quod è manibus nostris prodierat aperte conspicitur. Demus tamen, non concedamus hoc ex nostra voluntate fuisse sic impressum. Quam quæso nasutulus sophista inter finibus, et confinibus constituit differentiam.

Obiecta Capite I. Illustrationis.

Pag. 7. lin. 1. (non 6.) Quam quæso nasutulus Sophista inter finibus, et confinibus constituit differentiam.

Hæccine est illa singularis modestia, quam approbatores huius Illustrationis, in ea se admiratos, et Lectores admiraturos esse aiunt? Sunt ne hæc, et alia huiusmodi verba tribuenda Episcopo et non potius Magisterulo huius illustrationis vero auctori? Qui præterea ut talem se probet a iuribus citatis in Clypeo ad grammaticæ leges velut ab equis ad

asinos ut est in proverbio, confugit; Quibus nos fateri compellit fines pro confinibus accipi posse, seu consuevisse; sed insimul reponere tunc dicendum vel reperiri dictum iuxta fines, vel prope fines, vel ad fines, non autem in finibus, uti ibi dicitur; Nam praepositio In, agendo de re consistente idem quod intra significat. unde scite, et consulto Astam ibidem propriis finibus nudatam, ac non in sui legitimi Principio, sed in Hispaniae Regis ditione locatam, in Clypeo questi sumus.

Telum 11. pag. 560. lin. 4. Unius ex Ducibus sive Praefectis Longobardorum sedes.

Nulla ratione admittendum, Ducatus illos Principum Longobardorum idem fuisse cum Praefecturis. Praefectura namque officium, ac magistratus est, ad civitates moderandas, iuraque reddenda institutus: et alicui ad tempus, seu quoad vixerit, non vero in posterum etiam gratiam, collatus.

Ducatus vero illi dominium quoddam importabant, quale Beneficiarij, seu Feudatarij Supremi Principis pro se, suisque filiis; ac nepotibus, obtinere solent. Quod adeo verum est, ut ✝. Sigonius affirmet hanc speciem dominii in istis Longobardorum Ducatibus initium habuisse: et primo quidem ab Alboino rege illatam, deinde ab Authari confirmatam: tum a sequentibus regibus conservatam: post hos a Carolo Magno reformatam, antiqui feudi iure erga se, quod erga Longobardos reges fuerat, conservato. Quo iure in primis cautum erat: Ut si fidelitatis iusiurandum Dux fefellisset, aut si sine liberis decessisset, Ducatus alii concederetur. Quemadmodum in eodem Carolo refert idem Sigonius, et Pauli Diaconi De Gestis Longobardorum docet Historia.

✝. C. de Dignitatibus Regni Italiae lib. 1. an. 571. lib. 1. an. 586. lib. 4. an. 774.

Unum porro ex hisce Ducatibus fuisse Astam praeter eundem Paulum, caeterosque historicos testatum faciunt eiusdem Civitatis nonnulla publica monumenta, ex quibus praeterea liquet, etiam post sublatos cum suo rege Desiderio Longobardos Duces, Astam et Ducatus nomen, et propriam Curtem ad iura reddenda ipsius Ducatus hominibus per suos Comites (de quorum institutione et munere statim dicetur) aliosque Iudices retinuisse. In cuius rei comprobationem satis erit hic reddere initium vetustioris ex iisdem monumentis, prout iacet (tametsi barbarismis scateat) ✝. dati anno I. Karoli regis in Italia, Kalend. augusti,

✝. Tabulario Cathedralis

indict. XIII. ac continentis sententiam latam pro Eccl. S. Secundi, instantibus Advocatis Episcopalis Curiæ. Est porro tale ipsum initium.

= In nom. Dom. justitias judicantis. Dum recederet
" Buderico Vice Comes in niello publico in curte Ducatus
" Civitate Astense in vice Supponi inluster Comes ad
" singulorum hominibus iustitiam faciendam, vel
" deliberandum intentiones ressedentes ibidem et Grauso
" de finibus Astensi Iudice domini Regis Arimundo
" Ioanne Gundleberto Gusperto Scavinis Sigulfo Loozarifro
" Miedalberto Notario Advocato res domino Episcopia
" ecclesiæ Astensi ubi Domnus vir beatissimo Venerabilis
" Ildoinus Episcopus Custos praesse videtur nec non ex
" alia parte quidam homo nomine Aldani filius quond.
" Martinoni &c.

Paul. Diaconus lib. 3. et 4.

Asta igitur absoluta dici debuerat Ducatus, et totius circumstantis regionis caput, non secus ac Augusta Taurinorum ab auctore dicta fuerat. Addendumque ipsius Ducem fuisse Gondoaldum Theodelindæ piissimæ Reginæ fratrem, patremque Ariperti, I. ac progenitorem plurium aliorum qui ex Astensibus Ducibus, ac civibus ad regni fastigium, cum maxima ipsorum laude, et reipublicæ christianæ bono, fuerunt evecti.

Sed audio eũ respondentem se sublimiorem esse, quam ut velit in foro suo de apicibus disputari. Itaque pro huius nodi, non tamen Gordii solutione, ad Grammaticos confugiamus, quorum interest vocum proprietates diligentius perscrutari, Nizolius, Mancinellus, Calepinus, et alii hanc vocem finis pro termino, sive meta alicuius territorij accipiunt. Verum Franciscus Alunnus clariori ponderatione in sua Fabrica Mundi contendit, eandem esse finium, et confinium significationem, ita scribens: Confine, latine Confinis, fines, terminus, ergo si territorium Astense Castello Nonij, quod est in extremo Alexandrini conterminum est, quid vetat, quo minus dici possit in finibus Alexandriæ? vel ut melius in textu nostro legitur: Asta Liguriæ mediterraneæ, sive plane Civitas iacet in Bagiennis in finibus Alexandriæ. Propositionem vero nostram eo sensu intelligandam non esse: ut Asta sit territorij Alexandrini, vel ipsa luce clarius colligi potest ab hoc verbo Bagiennis,

Provinciæ a Statiellis longe diversa; in quibus Alexandriam collocavimus in Relatione Status Pedemontani, per nos nuper impressa. His igitur ponderatis, liquido constabit, adversarium nostrum putantem per id verbum à nobis prolatum posse Hispaniarum Regi Alexandriæ Domino ius in Astam competere; illotis manibus in fatuam opinionem prolabi: eo insuper, quod allegata pro illius parte intelligi debent, quando dominium alicuius proprietatis sitæ super alterius territorio est incertum, secus vero, si Dominus eius non ignoratur, ut in nostro, et similibus casibus patenter apparet.

Chronologiæ nostræ pag. 160. lin. 4. secundo telo sauciatos existimat Astenses his verbis. Unius ex Ducibus, sive Præfectis Longobardorum Sedes. Calculis omnibus, et studiis probare contendit Civitatibus Longobardæ ditionis assignatos à Regibus Duces (inter quas erat Asta) non temporaneos, sive electivos extitisse, sed perpetuos cum iure successionis, ad filios transmittendæ, supremo dumtaxat dominio penès Regem reservato, Ducesque à nobis nominatos non Magistratus, sive Præfecturæ officio, ut in tota fere Europa communi consuetudine receptum est, sed dominij iure fuisse potitos. Suffragatores suæ sententiæ exhibet Paulum Diaconum, Sigonium, et quoddam manus scriptum Astæ, in Curte Ducatus ipsius Civitatis de anno 880. Qui quoniam spectatæ fidei Auctores sunt, maximè primus qui ab eodem scriptum fuerit videre non erit indignum, eo scilicet fine, ut qui perperam locutus sit, facile cognoscatur. Paulus Diaconus eo tempore vivens Lib. 2. cap. 15. utitur his verbis: Post cuius mortem (Regis Clephi) Longobardi per annos decem, Regem non habentes, sub Ducibus fuerunt, unusquisque enim Ducum suam Civitatem obtinebat. Zabanus Ticinum, &c. Sed et alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt. et Libro 3. cap. 8. In his diebus ob restaurationem Regni Duces, qui tunc erant, omnes substantiæ suæ medietatem Regalibus usibus tribuunt, ut esse possit, unde Rex ipse, et qui aderant, eiusque obsequiis per diversa officia dediti alerentur. Ex his fortasse verbis Ducatus illos hæreditarios fuisse concludendum est? nequaquam imò potius triginta illos Duces, extincto Rege, Regni administrationem, in totidem partes sibi distribuisse, seu (si cum Blondo sentire velimus

lib. 8. et Caraffa in historia Neapolitana) Longobardos imperii fastigium, triginta conductoribus exercituum, sive Praefectis militiae, qui Duces appellantur, tradidisse, ea conditione, ut novo Regi medietatem obventum ex suo Guberno provenientium largirentur. Hos Duces a Regibus elegi idem Paulus Diaconus pluribus in locis testatur, et potissimum lib. 4. cap. 60. sequentibus verbis.

Mortuo Zenone Beneventanorum Duce Arichius in locum ipsius a Rege Agisulpho missus successit, qui ortus in Foro julii fuerat, et Ghisulphi Foriulani Ducis filios educarat.

Obiecta Capite II. Illustrationis

Pag. 9. lin. 6. ex his fortasse verbis Ducatus illos haereditarios fuisse concludendum ne est? nequaquam. Resp. imo certissime hoc constat, tum ex caetera historia Pauli De Gestis Longobardorum, et ex aliis Historicis, tum ex ipsismet locis, quae tu hic ex Paulo affers. Ex caetera, inquam, historia Pauli, quod ex ea tota appareat filios horum Ducum, ubi extiterint, in ipsos Ducatus ipso iure perpetuo successisse. ex caeteris vero Historicis, quod idem omnes sentiisse liqueat. In quibus Sigonius cum ostendisset, uti diximus in Clypeo, in istis Longobardorum Ducatibus initium habuisse speciem istam Dominii, quod Feudum dicitur, pronunciat +. Reges de eo nullatenus disponere potuisse, nisi ubi Dux aliquis aut sine filiis decessisset, aut iusiurandum fefelisset. Idem porro dicimus etiam constare ex locis, quae tu ipse pro tua sententia affers. Quid enim aliud sibi volunt illa verba ex Paulo allata a te pag. 8. lin. 25. Unusquisque enim Ducum suam civitatem obtinebat? nisi unumquemque Ducum eam, uti rem propriam, firmiter, uti solent veri Domini, et in speciem Feudatarii, non autem ad nutum Regis ut Praefecti consueverunt, possedisse? Quid item illa pag. 9. lin. 2. Regni Duces qui tunc erant omnis substantiae suae medietatem regalibus usibus tribuebant? Quid inquam, sibi ista verba volunt, substantiae suae? nisi illius substantiae, quae uti solent bona feudalia, ad ipsos Duces ipso iure pertinebat.

+. lib. 1. an. 672. et cap. de Dignitatibus Regni Italiae.

Igitur iuxta hanc Pauli, et Sigonii sententiam interpretanda sunt quae affers ex Blondo, et Caraffa. Id vero, quod de Narsete ait Sabellicus, ad rem non facit. Narses enim tempore praecessit Longobardos, a quibus species ista dominii feudum dicta, instituta fuit.

//

Quod autem dicit Maynoldus Reges, qui deleto Romano Imperio Provincias exceperunt per Magistratus temporarios eas gubernarunt, non de Longobardis, sed de Gottorum Regibus est intelligendum, praecipueque de Theodorico. Hi enim reges Gotti deleto Romano Imperio has provincias primum obtinuerunt, ac moderaverunt. Nec vero pro te facit, quod mortuo Zenone Beneventano duce, suffectus ei fuerit a Rege Arichius, cum non probes Zenonem relictis filiis decessisse. Facit autem pro nobis, quod, uti subditur, idem Arichius dicitur educasse filios Gisulfi Fori Iuliani Ducis, in paternum Ducatum successuros.

Verum cum allata ex hoc auctore testimonia horum Ducatum naturam non satis dilucide aperire videantur, num scilicet hæreditarii fuerint, an electivi, an eiusdem naturæ cum Gallicis Gubernijs, quæ patribus ad vitam concessa, etiam aliquando ad filios, et nepotes transmittuntur; nec ex allata scriptura aliud erui possit, nisi quod Astæ esset Curia, sive Regia, sive Palatium, quod Curtem Ducalem nuncupabant, quemadmodum, et nunc in pluribus Civitatibus domus publicæ a Senatu, Præside, vel Præfecto, easdem inhabitante, vel iusdicente denominantur. Quid de huiusmodi titulo senserint alii Auctores, qui de Ducum origine, et autoritate scripserunt videamus. Sabellius lib. 2. Decadis 8. scribens de adventu Longini, qui Narseti in Italia successit, sic ait = idem primus veterem administrationis formam tota Italia sustulit, ut non cuique Provinciæ, regionive suus esset Magistratus, sed singulis urbibus singuli qui potestate præirent, et ius Civibus simul dicerent, Ducesque appellarentur. Poterat ab hoc auctore distinctius Curtis Ducalis denominatio declarari? Iacobus Mainoldus Galeratus Libro de titulis Philippi Austrii in titulo Ducis, Marchionis, et Comitis, sic scribit.

Quemadmodum autem Imperatores Romani Provincias Imperio subiectas administrarunt per annuos Magistratus, quos Præsides Consulares, et Correctores vocarunt. Sic Reges qui deleto Imperio Provincias exceperunt, eas per Magistratus temporarios gubernarunt, quos Duces, et Comites //

appellarunt. Georgius Pilonus lib. 2. Historiæ Civitatis Belluni huic opinioni suffragatur de Rege Alboino scribens.

Instituì due Marchesati che fu il Piceno chiamandolo Marca d'Ancona, e l'altro in una parte della Regione Veneta chiamandolo Marca Trivigiana, ordinando, che in queste due Marche succedessero i figliuoli per eredità; ma nelli quattro Ducati da lui instituiti si creavano i Duchi per elettione, ne i figliuoli havevano ragione alcuna nè beni paterni, et in tutte l'altre sue Città messe Capitani, e Governatori. Ludovicus ab Ecclesia in suo discursu de Nobilitate Civili Cap. 4. ait.

Non potendo poi gl'Imperatori, et Re attendere al governo di tutte le Provincie loro, constituirono alcuni Vicarij, o sia Luogotenenti, che quelle governassero, e frà quelli alcuni furono chiamati Duchi, et altri Conti. et paulo inferius subiungit.

Questi Duchi, Marchesi, e Conti erano anco nel principio di loro creazione posti à tempo.

Quàm plurimos alios adducere possem idem affirmantes, quos ne lector multiplicatis verbis defatigetur, merito reticemus: hoc unum tantum addo pro maiori declaratione, nempe: Quod si Regina Theodolinda filia Garibaldi Regis Bauariæ fratrem habuerit Gondoaldum Ducem Astæ, et legitur in Paulo Diacono, et Clypeo Astensi, veritati consonum esse non potest, Ducatus de quibus sermo est, per hæreditatem ad filios deportari; nam et si Gondoaldus ipse in Ducem Astæ fuerit electus, non tamen patri Bavaro successit, nec filium Aripertum post suam mortem in Gubernio reliquit, cum ab eodem Diacono non Dux Astæ, sed Rex Longobardorum nominetur.

Pag. 11. lin. 14. (17.) Cum a Paulo Diacono non Dux Astæ, sed Rex Longobardorum Aripertus nominetur.

Resp. licet Paulus Aripertum Astæ Ducem, non aperte dixerit: pro tali tamen eum habendum significavit cum tradidit, et Aripertum fuisse Gondoaldi Ducis Astensis filium: simulque in tota sua Historia docet; filios, in his Ducatibus patribus succedere consuevisse, ac debuisse. Atqui si verum vis fateri, hoc sane est, quod Auctorem chronologicæ Historiæ, ac te ipsum urit, et ad quod tot machinas commoliris, ut Ducum Longobardici Regni

Lib. 4. Cap. 50.

filios a paterna hæreditate deturbes. Quippe qui optime
intelligas hac successione admissa, fatearis necesse sit
Astensem Ducem, ac civem fuisse non tantum Aripertum, I.
a Ducibus Longobardis, posthabitis suæ gentis viris, et
+ id. Cap. 3. iam grandevum ad regnum subvectum, sed et Perthoritum,
+ id. lib. 6. c. 30. et Godibertum + Ariperti filios, + regnique successores.
Itemque Parthariti filium Canibertum, istoque a Perthorito
patre in regni societatem ascito, alterum filium
Asprandum Luitprandi parentem. Quam rem
commemorandam duximus, non equidem ab iactantia,
ipsismet rebus florescentibus exosa: ubi vero illæ
defloruere (ut in præsentiarum nostræ) etiam ridenda: sed
ut summi, ac prorsus divini beneficii loco, eam reponant
Astenses nostri. Nam cum cæteræ urbes huius regni
haberent Duces ex Longobarda natione, ac proinde
Ariana hæresi infestos, hæc Civitas sub istis Ducibus
suis, ab huiusmodi contagione tuta perseveravit + Erant + id. L. 3. c.
namque hi Duces ex piissima, et summæ catholicæ
Baioariorum Regum stirpe. Unde minime ambigendum,
qui zelum, quem in perducendis ad veram fidem Longobardis
exhibuit Regina Theodolinda Gondualdi nostri soror,
non exhibuerit Gondualdus ipse in avertenda ex peste
a suo ducatu.

Ne quis vero miretur inter Astenses Duces Gondualdi
nepotes, recensitum Asprandum, cum nonnulli ipsum
comensem ducem faciant, quod Paulus + tradat ipsum + L. 6. c. 20.
ab Ariperto II. in acie victum, in comacinam insulam
confugisse: monendus hic erit Paulum illum ad eam
insulam fugisse dixisse, non quod illius dux esset,
sed ut inde tutius, ac compendiosiori via apud
Baioariæ Regem se recipere posset. Nam fuisse
Asprandum Perthariti filium, ac proinde (post
cooptatum a Perthorito in regni societatem, Canibertum)
+ Par. 2. c. 13. in Astensi ducatu successorem, habemus ex + Raymundo,
qui nos ad rem, ob celebritatem nominis Luitprandi eius
filii, in diplomatibus aliorum regum, et vulgo Liprandi
dicti, scitu haud indignam, serio investigandam permovit.
Huic namque adstipulari reperimus Platinam, ac
+ in Gregor. II. Sabellicum +, dum uterque dicit + Asprandum bellum + Enneadis
movisse Ariperto II. ut avitum regnum recuperaret.
+ An. 740. n. 24. Adstipulari etiam Baronium, + qui, idem regnum
~~recuperaret~~ regnum avitum Luitprandi item

appellat. Quibus tamen est preferendus Paulus, qui licet hoc aperte non tradat, significat tamen dum narrat † ab Ariperto II. abscissis naribus, et auribus, deturpatam Theuderadam Asprandi uxorem, quia se debito sibi regno privatam querebatur. Et rem denique apertam, certamque faciunt Acta S. Evasii Mart., in quibus, ubi fit mentio alterius S. Evasii Luitprandi Synchroni, de ipso rege leguntur haec verba = Cum idem Rex per rectam lineam a Pertarito descendisset = cui rei praeterea argumento esse debet eiusdem Luitprandi erga priorem S. Evasium primum Epum Astensem specialis devotio. ob quam, quemadmodum in ipsorum Actium Appendice traditur, cum Rex ipse Papiae consistens, Arianorum potentias exterritus, an cum illis asperto Marte ineunda esset pugna, anxius haereret, idem S. Evasius in somnis ei obversatus, promissa de hostibus victoria, ad confligendum eum animavit.

Praeter hanc vero tot scriptorum authoritatem, ad comprobandum Astenses cives, ac duces fuisse tot reges Gondoaldi filios, ac nepotes proferri potest eorundem in Astensem Ecclam tam profusa liberalitas, ut non facile aliam Ecclam intra hoc regnum reperias, quae tam vasta, amplave ditione donata, ac diu potita fuerit: utpote quae contineret † quicquid ultra Tanarum, et Sturiam, et usque summitate Alpium, et Apennini situm est. et citra eadem flumina, ad Octoginta Cortes, seu plebes, vel Castra: ex quibus non nisi aliquot ultra Sturiam posita a † Ludovico IV., et unum a † Berengario, post translatum a Longobardis in Francos regnum, donata leguntur. Unde cum qui ante Aripertum I. regnum hoc tenuerant, omnes, praeter Adoloaldum Theodolindae filium, Ariana laborarint haeresi, qui vero post extinctam in Luitprando Gondoaldi stirpem (Rachis nimirum, Aistulphus, et Desiderius) iura ecclesiarum potius detrahere, quam augere tentaverint, restat ut Ducibus, ac Regibus Gondoaldi nepotibus caeterorum donatio ascribatur. Cuius rei etiam argumentum nobis praebet Ludovici II. diploma, quo quoddam nemus Cellar dictum, quibusdam Ecclesiis anno 862. donat his verbis † praecipue ecclesiae S. Victoris de Canalibus, et ecclesiae B. Petri de Novellis, et eccle B. Martini de Vitia, et Eccle S. Ioannis de Villa, et eccle S. Petri de Publice, quae omnes sunt plebes Astensis ecclesiae. Licet enim non constet quibus

Marginal notes:

[...]C. c. 22.

† Varia Diplomat. Regum, et Impp.

[D]ipl. an. 901. 14. Iulij

† Dipl. an. 904. idib. Iulij

[D]ipl. an. 862. [...] id. Iunij.

Regibus hæ plebes fuerint donatæ; quod cur traditur in præcepto †. Caroli III.) ipsarum donationum instrumenta casu improviso, cum thesauro ecclesiæ conflagrarint, unde idem Carolus vult pro validis haberi ipsas donationes, ac si earum chartæ non fuissent combustæ, dum tamen in præcepto †. Henrici II., in quo hic Rex omnia loca eo usu donata Astensi Eccl.æ, illa nominatim recensendo, eidem confirmavit, legimus de terra prædictæ plebis S. Petri de Publice, eam donatam fuisse a Rege Liprando; probabilius censemus eiusmodi donationes factas a Gondoaldicæ potius quam a Carolinæ Stirpis Regibus, prædicti Ludovici II. antecessoribus: nimirum quam a Pipino ante Carolum parentem fatis functo; vel a Bernardo unius anni rege, vel a Ludovico I., qui numquam in Italia resedit.

†. Dat. an. 884. 3. id. Januar.

†. Dat. an. 1040. 7. id. feb. indict. 8.

Telum III. eadem pag. lin. c. Imperatorum beneficio Episcopis suis aliquando paruit; sed excusso ecclesiæ iuge &c.

Ut quivis facile perspiciat hoc esse gratis suppositum ac proinde præter ius, fasque tum hoc loco, tum alibi etiam apertius, ab hoc auctore rebellionis reos constituit Astenses: primum dicimus. Neque in Eccl.æ Cathedralis neque in aliquo alio huius urbis tabulario, extare monumentum aliquod, ex quo vel conjici possit hanc Civitatem Episcopis suis quoad temporale dominium, aliquando, uti hic asseritur, paruisse.

Nullum item exhiberi posse Imperatorum privilegium, in quo Astensis Civitas Astensi Ecclesiæ, seu eius Epis aperte, et in congruenti forma donata legatur. Deinde dicimus ex Ottonis Magni privilegio, sive præcepto (ita enim Reges Italiæ, et qui iis successere Imperatores, sua diplomata vocabant) constare plura ab eodem Ottone concessa fuisse huic ecclesiæ, quæ civitatem ipsam aliquo modo attingerent: his verbis expressa. Castellum vetus (istud namque Hugo, et Lotarius reges Bruningo Episcopo antea concesserant) cæteraque Castella, villas, mensos, et integerrime Districtum et Theloneum ipsius Civitatis in circuitu, et circumquaque ad quattuor milliaria atque Tanari fluminis omne ripaticum, et aquaticum. Huius porro donationis confirmationem cum ab Ottone III. impetrasset Petrus Epus anno 992. inter recensendum eadem illa, quæ in Ottonis I. diplomate continebantur addita fuit civitatis mentio in hunc modum. —

confirmamus sibi, suæve ecclæ quidquid sui antecessores adquisiverunt per præcepta aut per alia Scripturarum instrumenta, quicquid ad publicum jus pertinet in Thelonei, et Mercati redhibitione, seu aquatici atque ripatici pertinere videtur: verum etiam civitatem et Castella cum omnibus integritatibus, et adiacentiis suis, cum quatuor milliariis in circuitu.

Num igitur per ista verba, verum etiam civitatem in præcepto Ottonis I; quod confirmabatur, minime contenta et in hoc obiter, et per modum appendicis, addita censeri possit, concessum fuisse talis civitatis dominium eius episcopis, aliis per otium relinquimus examinandum, in promptu habentes unde probare possimus aut non factam per hæc verba, ipsius urbis donationem, aut certe ipsam donationem eius generis fuisse, de quo L. non videntur §. de reg. jur. non videntur data quæ eo tempore, quo dantur, non fiunt accipientis. Hoc namque probat luculenter diploma, quod immediate post prædictum Ottonis III. reperitur concessum: nempe anno 1040. ab Henrico II. Qui præfatus se plurimum debere Petro Astensi Episcopo, quod in sui Patris Conradi Augusti suique ipsius servitio, sæpissime desudasset in ipsius gratiam, quæcumque ad eam diem a regibus Italiæ, atque ab Imperatoribus, aliisque principibus viris Astensi ecclesiæ donata fuerant, amplissimis verbis, et singulas enumerando confirmavit. et inprimis ea, quæ civitatem ipsam quocumque modo attingerant, idque eisdem ferme verbis, quibus Otto I. illa concesserat. Nempe Castellum integre, cæteraque Castella, villas, mansiones, districtum et Theloneum Civitatis in circuitu, et circumquaque usque ad septem milliaria; atque Tanari fluminis omne ripaticum, et aquaticum: portus quoque navium usque ad Mesii Cortem. Deinde ad enumerandas Cortes seu Castella progreditur, nulla omnino de ipsamet civitate facta mentione, de qua procul dubio in primis facta fuisset si in eam quodpiam jus per prædictum Ottonis III., aliudve diploma, ecclesiæ suæ quæsitum, Episcopus Petrus existimasset.

Nec vero præsumi potest, quod postea saltem donata fuerit eadem civitas Astensi ecclæ verbis illis, quæ habentur in diplomate Henrici III. nimirum = Humili petitione Ottonis Astensis episcopi, Astensi Ecclesiæ S. M. Virg. Comitatum, qui est infra Astensem episcopatum, et eiusdem Episcopi consecrationem, et quicquid ad eum pertinet, sicut illum habuit, et tenuit Adelaidis

Comitissa beatæ memoriæ unum annum ante diem obitus sui (salva nostra justitia) inviolabili iure concedimus et integre donamus, atque firmamus.

Nam primum per verba illa infra Astensem Episcopatum ipsa civitas potius excludi, quam includi videtur. Deinde istud verbum Comitatus, non quidem aliquod dominium sed facultatem quandam iura reddendi, quam reges Italiæ, seu eo nomine Imperatores, in civitates ipsius regni sibi reservarant, intelligendum censemus. Et eam quidem non supremam, de qua intelligenda sunt illa verba, salva nostra justitia (nam hanc reges per se ipsos, vel per suos Missos, vel per sui Palatii Comitem Papiæ residentem exercere solebant) sed qualem Civitatum Comitibus mandare consueverant, et qualem antea in eadem civitate Astensi habuerat circa An. 880. ille Comes Saponius, de quo præcitata Sententia Buderici illius vicecomitis, vel circa An. 940. Humbertus, seu Obertus Astensis item Comes, cuius fit mentio in pluribus monumentis publicis, et præsertim in uno, in quo † Anno Hugonis XIV. et Lotarii IX. XIV. Maij Indic. XIII. in suburbio Civitatis Astensis, non multum longe ab ecclesia S. Secundi, instante Bernardo Archidiacono dum ipse Humbertus resideret in Corte Ducatus Astensis (ut ibi dicitur) ad singulorum hominum causas deliberandas, residentibus cum eo Bernardo vicecomite eiusdem civitatis, et quinque judicibus dominorum Regum, et tribus Scavinis &c. validam, ac legitimam pronunciavit cartam quandam commutationis factæ inter Bruningum Episcopum, et eundem Bernardum archidiaconum.

† in Archiv.

Hanc vero diversam rationem causas cognoscendi significavit Sigonius, dum agens de forma moderandi regni a Carolo Magno statuta hæc ait: Regni Civitates, seu oppida Comitibus administranda commisit, atque eis omnem publicam, et privatam jurisdictionem mandavit. extra ordinem autem Legatos quosdam in regnum maiore quam comites potestate misit, quos Missos vocavit. Hæc Sigonius

Porro jam citato Henrici II. diplomati, ad comprobandum hanc Urbem numquam Episcoporum dominio fuisse subiectam, adiungi potest jam memoratum Conradi II. diploma, quo eidem civitati ius cudendæ monetæ concessit: non utique tamquam ecclesiastici juris effectæ, sed uti debito fidelitatis eidem Cæsari arctius obligatæ, et in ipsius, regnique servitio cura pervigili, et continuo mancipatæ

Verum si nos veritate posthabita, contrariæ opinioni insistentes Ducalem illorum temporum dignitatem perpetuam fuisse dixissemus. Quid ex hac informi confessione opinatur Astensis? forsan nomini patriæ suæ plus decoris accessurum? minime vero. Nec ullus est usque adeo ignarus quin nobiliorem existimet, eam civitatem, quæ immediate Principi paret, quam quæ mediate eidem subijcitur, fortasse titulum Ducatus ideo suæ Civitati deberi? ut futili vanitate non nulli cives affectare videntur, et hoc multo minus. Etenim si sic se veritas haberet, cum Serenissimi Sabaudiæ Duces possideant non nullas Civitates, quæ fuerint olim Longobardæ ditionis, puta Vercellas, Taurinum, hanc de qua loquimur, et Hiporediam, harum Civitatum Duces, non Principes Pedemontii deberent appellari; nec opus erat, ut Mediolani, et Montisferrati Domini ab Imperatoribus Ducis titulos impetrarent. Cum illi Ticino, hi Aquis potirentur urbibus, olim Ducatuum titulo insignitis. Cum ergo nullus sit huic prætensioni locus, nemo miretur Duces Aurelianenses Civitatis Astæ possessores, solo Dominorum titulo, ut in multis eorum concessionibus patenter apparet fuisse contentos.

Ad confutanda ea, quæ paginæ eiusdem lin. quinta asserimus: Quod Imperatorum beneficio Episcopis suis aliquando paruit, sed excusso ecclesiæ iugo &c. Astensis temerarios maiorum suorum ausus, qui toties proprios Episcopos sede deturbarunt, protegere cupientes, Civitatem suam quoad temporale dominium Episcopis subiacuisse constanter inficiatur. Verum quia nullo modo supprimere potest, quæ a Regibus, et Imperatoribus ecclesiæ Astensi concessa fuerunt, et non semel confirmata; tum privilegia, tum donationes, quibus non Tolonea tantum (ideratpedagij, sive gabellæ quoddam genus) sed etiam mercati, et omnium aliorum regalium, Castelli veteris, et Civitatis ipsius, eiusque per quatuor milliaria districtus, domina constituebatur: vel ea commutato sensu interpretari, vel vanis obiectionibus falsitatis insimulare conatur. Quare etiamsi Lector ex ipsis Scripturis ab Auctore Clypei productis veritatem elicere nullo negotio posset, tamen quia consulto silentio, apertaque malitia primam ab eodem Othone primo //

Imperatore concessam 24. septembris anni 962. donationem quæ tamen in libro viridi in eodem Episcopatu conservatur, et videri potest, et in privilegio Othonis tertii anni 992. verba quædam ad propositum nostrum facientia, omiserunt; eas donationes, et privilegia scriptis nostris inserere censuimus fore non inconsultum, ut lectores a mendacio discernere veritatem possint, et cognoscere; num iure dixerimus Astam suis aliquando Episcopis quoad temporale dominium paruisse. Prima donatio huius tenoris est.

In nomine Sanctæ, et individuæ Trinitatis, Otho divina favente clementia Imperator, &c. Insuper nostra imperiali auctoritate confirmamus eidem Ecclesiæ omnia privilegia, atque præcepta tam a nostris prædecessoribus, quam quæ à nobis collata, præcipueque illud per quod prædicta mater Ecclesia iure proprietario districtum, et mercatum, atque omnem publicam functionem eius possidet civitatis, et circum circa infra duo milliaria coniacentia, &c. Datum 8. Cal. Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis 962. Indictione sexta. Actum Papiæ Civitatis &c.

Obiecta Capite III. Illustrationis

Pag. 13. lin. 4. Tamen quia consulto silentio aperta que malitia omiserunt primum ab Ottone I. donationem concessam anno 962. 26. septembris. huius tenoris.

Resp. Rex Luitprandus inter alia argumenta suæ propensionis, et pietatis in ecclesiam Astensem, anno 743. donaverat S. Evasio, et Successoribus eius Civitatem Sedulæ, seu Senedulæ. Huius donationis confirmationem cum ab Ottone Magno petiisset Bruningus Episcopus, Otto illam confirmavit his verbis: Otto &c. per hanc nostri præcepti paginam confirmamus, et corroboramus Ecclesiæ S. Dei Genitricis Mariæ V., atque SS. Secundi, omnes Plebes, Abbatias, et Cortes Senedulæ, omnesque res, utriusque sexus quoque familias iuris eiusdem Eclæ. insuper nostra imperiali auctoritate et cætera modo relata ab authore: qui (simpliciter ne, an aperta malitia) prætermissa ista præcedenti periodo, a nobis ut iacet reddita, qua donatio Senedulæ confirmatur, eam dumtaxat, quæ sequebatur rendit, ut imponeret Lectori per illa verba = eius possidet civitatis = donatam Civitatem Astensem, cum tamen de hac in ipso diplomate nulla fiat mentio, et non nisi ad sedulensem civitatem possint ea verba referri. Hanc vero confirmationem ut firmiorem

redderet Bruningus, eo ipso die, namque VIII. Kal. octobris (ut habetur in actu publico eiusdem diplomatis originali subiecto) praesentavit ipsum praeceptum Otberto Comiti Sacri Palatii, ac institit ut decerneret num pro vera, et legitima habenda esset haec confirmatio Senedulae: et ipse otbertus pronunciavit eam legitimam esse; idque ex voto novem judicum, et in praesentia sex episcoporum qui omnes se subscripserunt.

Et revera in eo praecepto minime donatam civitatem Astensem eius episcopo, potuit praeterea hic auctor colligere ex praecepto eiusdem Ottonis I. anni 969., in quo non confirmat (prout fecisset, si eam antea anno 962. donavisset) civitatem, sed ipsius districtum, Toloneum, et alia regalia elargitur; quo ipso monstrat civitatem sibi retinuisse.

Aliud privilegium ab Othone Tertio Imperatore eidem Ecclesiae Astensi concessum 20. Julij Anno 992. intercedente Petro Episcopo non Rozone, ut hallucinatur auctor Clypei, sic ait.

In nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis, Otho, &c. Quod interventu, et petitione D. Aviae Adelaide Imperatricis Augustae, Petrus Sanctae Astensis Ecclesiae Episcopus nostram afflagitans adiit celsitudinem, quatenus sibi, suaeque Ecclesiae in honorem S. Dei genitricis Mariae aedificatae et S. Secundi Martyris secundum nostrorum antecessorum Imperatorum sive Regum videlicet avi, et patris nostri praecepta, et nostrum etiam quod Rozoni episcopo fecimus totum Episcopatum Astensem cum integro districto Civitatis cum quatuor milliariis in circuitu nostrae confirmationis, et donationis praecepto corroborare et largiri dignaremur: cuius petitionem iustam ducentes confirmavimus sibi suaeque Ecclesiae quicquid ad publicum ius pertinet in Tolonei, et mercati reddibitione &c. verum etiam Civitatem, et Castella cum omnibus integritatibus, et adiacentiis suis cum quatuor milliariis circuitu, cum placitis et omnibus publicis vectigalibus, et quicquid terrarum publicae rei est tam infra civitatem, et Castella, et infra totum episcopatum, aut Comitatum Astensem, &c. Concessimus etiam, ut negotiatores suae Civitatis ubicunque velint habeant licentiam negotiandi sine contradictione alicuius hominis &c. Dat. 13. Cal. Augusti, indictione 5. Anno Dominicae Incarnationis 992. D. Othonis 3. Regnorum 9. Actum in Melius in Foeliciter. Amen.

Pag. 16. lin. 25. Aliud privilegium ab Ottone III. concessum die 20. julii an. 992. sic ait: Otto &c. Confirmamus quicquid ad publicum ius pertinet, in Telonei, et mercati redhibitiones, et verum etiam civitatem, et Castella.

Resp. Habentur quidem hæc verba in eo privilegio; sed inter illa = mercati redhibitione = et illa = verum etiam civitatem pro illo &c. a te interposito insunt alia a te, uti credo, imprudenter, sicuti a nobis in Clypeo, non autem subdole (more hæreticorum, ea ex quibus verus verborum sensus perciperetur, reticentium?) prætermissa. Quæ utique verba manifestum faciunt Ottonem III. nequaquam donasse episcopo Astensem Civitatem per illa verba = verum etiam civitatem = sed facultatem novam civitatem, si libuisset, construendi. Ita enim legitur post illud verbum redhibitiones: et ubicumque placet construant sibi molendina, aut alia necessaria, verum etiam civitatem. Cum namque Otto I. in præcepto anni 969. episcopis concessisset ut = ubicumque voluissent, et providissent, liceret Castella, turres, merulos, munitiones, Valla, fossas, fossataque cum propugnaculis struere, et ædificare: Otto III. hanc facultatem ampliando, ut etiam civitatem sibi construere possent, indulsit. Non igitur a verbo confirmamus tam longe anteposito, ut tu excogitasti, sed a verbo conservant dependent illa verba verum etiam civitatem. Quamquam si mens non ægra fuisset, civitatem nequaquam hic confirmari colligere poteras ex eo quod in Ottonis I. præcepto, per istud Ottonis III. confirmatum, nulla civitatis mentio fiat.

Risu vero dignum, quod cum nos in Clypeo ostensuri per illa eadem verba = verum etiam civitatem = hanc nequaquam donatam, in argumentum adduxerimus præceptum Henrici II. immediate post illud Ottonis III. datum, in quo cum confirmentur nominatim omnia loca, eousque Astensi ecclesiæ donata, nulla tamen Civitatis mentio fiat: tu hoc concludere negas: quia cum a donatione Ottonis III. usque ad privilegium Henrici, quadraginta novem anni effluxerint, fieri potuit ut qui eo tempore vixerant episcopi, multa alienarint. Nam primo istudne est sapere? Fieri potuit, ergo pro facto est habendum? Deinde si legitima facta fuerat ea alienatio, Astenses pro Subditis iam non erant habendi: ac proinde nec pro rebellibus. Si vero non legitime, eo accuratius

episcopus Petrus, adeo acceptus Henrico, ut potiori loco in eo praecepto civitas exprimeretur, operam dedisset.

Nec sane obiicere merito poteris istud diploma non eodem loco, ac illud Ottonis III. esse habendum; quod quo tempore Henricus illud dedit, nondum esset imperator, uti erat Otto, sed tantum Rex Italiae. Siquidem ex verbis testamenti Caroli + Magni supra collatis, perspectum sit ipsum Carolum nullam civitatem, nullumve omnino locum intra Lombardiam, imperio Romano reddidisse (uti extra eam + de Apulia, et Calabria fecerat) vel aliquatenus subiecisse: sed ea omnia cum eodem supremo dominio, quo Longobardi reges potiti fuerant, Pipino filio, eique in regno Italiae Successuris, sub titulo Regni Italiae, seu Lombardiae, eodem plane modo, quo quidquid in Galliis Franci de imperio Romano detraxerant, sub Francorum regno esse voluit, attribuisse.

+. Relata in Respons. 1.

+. Sigon. ad an. 774.

Quam rem praeterea certissimam faciunt gesta ac diplomata eorum, qui reges quidem Italiae, sed non simul, aut non tempore datarum eorundem diplomatum, imperatores erant. Hi ~~autem~~ namque omnes ipsum regnum cum plena, et omnimoda potestate, non secus ac antea Longobardi reges, administrarunt, nulla penitus habita ratione aut imperatorum tunc viventium aut romanorum iurium: quae iidem Longobardi armis antiquaverant, et sibi compararant. Sicque de huius regni locis, aut iuribus, pro suo arbitrio, et uti de re propria, disposuerunt, quemadmodum in dictis eorum diplomatibus, et apud illorum temporum Historicos videre licet. Quin etiam tertio loco hoc probant gesta, ac diplomata illorum, qui ex hoc regno ad imperium fuerunt evecti. Iidem enim dum de locis in Lombardia sitis disponunt, hoc se facere perhibent authoritate regia, et tamquam de rebus non quidem imperialis, sed regii iuris: prout, exempli gratia, liquet ex praecitata investitura Alerami, et longe apertius in supradesignatis praeceptis Ottonis I. et III.

Ex iis vero perspectum fit dictos consultos illos Bononienses qui uti initio diximus, iudicarunt Italiam debere universa regalia Imperatori, ita locutos non quod proprie Regi Italiae regalia (uti vox ipsa sonat) non deberentur, sed quod vel ipsi huius regni institutionem, et iura (ante Sigonium a nullo bene et ex ordine explicata) minime callerent. vel certe quod post electum in regem Italiae ab archiepiscopo Mediolanensi, eiusque suffraganeis +. ex privilegio a S. Gregorio in Theodolindae reginae gratiam

+. Sigon. lib. 1. an. 601.

his indulto, Ottonem Magnum; hic inde postea a summo pontifice ad imperium sit promotus; ex eoque tempore, regnum, ac imperium simul unita perseveraverint. ex ea namque unione evenit, ut quæ juris regii per se erant, imperio attributa legantur, et ipsimet imperatores Regis Romanorum titulum asciverint. etenim quod a nullo imperatore dominium, ac iura quibus Longobardi romanum spoliaverant imperium, fuerit aliquando vendicata, seu eidem imperio restituta, vel ex eo certissime constat, quod nullus unquam post debellatos a Carolo Magno Longobardos, imperator extitit, qui non prius istud regnum, quam imperium non obtinuerit. ex qua denique unione factum est ut imperio destinati primo quidem reges Italiæ, et deinde reges romanorum (veluti olim Cæsares) vocari capti sint, quemadmodum ipsimet Augusti iam dici cæperant.

Cum igitur neque I., neque III. Ottonis præceptum tibi suffragetur, restat, ut ostendamus idem dicendum esse de præcepto Henrici III; hocque ipsiusmet verbis in Clypeo redditis. Non enim ut tu, cum tuo Ludovico, supponis pag. 6. lin 15. Henricus III. Ottoni episcopo dedit civitatis dominium, sed Comitatum infra Astensem episcopatum: comitatum vero, quem habebant episcopi in urbibus, a quo et comitum titulus illis additus nequaquam ullum dominium, sed facultatem quandam iura reddendi Regis nomine importasse, certissimum faciunt (ut alia argumenta omittantur) †. ipsæmet Tabulæ pacis = constantiæ dictæ, quibus Fridericus I. cum civitatibus Lombardiæ de regalibus convenit

In iis namque ista leguntur. In ea urbe, in qua epūs privilegio Imperatoris, aut Regis comitatum habet, si Consules per ipsum consulatum solent recipere, ab ipso recipiant, sin minus, a Nobis = habuisse autem Astenses episcopos comitatum in hac Civitate, exploratum habemus ex bullis summorum Pontificium †. Eugenii III. †. Anastasii IV., et †. Adriani IV., in quibus omnia donata Astensi Ecclesiæ confirmarunt; et nominatim = Comitatum Civitatis, et totius episcopatus = Pro explorato igitur habendum comitatum a Regibus Episcopis in civitates concessum nullum omnino dominium, sed nudum Ius cognoscendi præscripto ordine civium, ac diæcesanorum causas, Regis nomine. Quo in sensu esse accipiendum comitatum Adelaidi primum, et deinde Ottoni episcopo ab Henrico III. concessum perspectum faciunt illa verba = Salva nostra justitia = Hoc est = Reservata nobis suprema cognitione.

†. in Additione authentic. Co[...]

†. Dat. Romæ [...] 17. Kal. Dec[...]

†. Dat. an. 115[...] Mart.

†. Dat. 1156. 13. Ian.

Ex his verbis iure proprietario, districtum, mercatum, et omnem publicam functionem eius possidet Civitatis, sed longe præclarius ex donatione Ottonis III., et verbis quæ in Henrici III. donatione continentur discerni potest, an veré dixerimus Imperatorum beneficio episcopis suis aliquando paruit. Nam affirmare in hoc ultimo Ottonis Tertio rescripto gratis insertas fuisse clausulas, quæ in aliis largitionibus ecclesiæ Astensi antea concessis omissæ fuerant ut adversarius persuadere conatur, equidem nimis absurda, futilisque obiectio censenda est. Quis enim credat in negotio tanti momenti, vel frustra, vel per errorem eiusmodi verba exarari? imo dicendum potius quod quemadmodum Hugo, et Lotharius Reges ecclesiæ Astensi Castellum vetus, et Otto primus Imperator districtum, et mercatum eius civitatis, et duo milliaria in circuitu concesit, et in altera donatione anno 969. Toloneam eius Civitatis, iura Tanagri, duas Abbatias, nonnulla alia Castella, et alia duo milliaria adiunxit, quibus tandem Henrici Imperatoris privilegio anno 1041. alia tria milliaria accesserunt, ita ut episcoporum potestas, et dominium ad septem milliaria in circuitu extenderetur mirandum non est si Otto III. nepos superioris confirmatis majorum suorum privilegiis, quo firmius Romanum Pontificem, et ecclesiæ proceres concesso multis episcopis temporali dominio sibi devinceret, Petro episcopo Astensi temporalem iurisdictionem impertivit. Quod et alios Imperatores successivis temporibus factitasse, etiam allato Principibus temporali dominio, quod ecclesiæ largirentur, auctor est Baldesanus, affirmans quod Conradus ablatum filiis Arduini Regis Hiporediæ Marchionatum dederit illius Civitatis episcopo. Et Federicus primus Anristiti Carolo Taurinum Civitatem, quæ ad Comitem Sabaudiæ Humbertum pertinebat; Sed nec concludit adductum ab adversario argumentum, scilicet cum in privilegio Henrici II. anno 1041. quod episcopo Petro 2. concessum fuit, Asta Civitas non nominetur, inde colligi civitatem ab episcopis numquam fuisse possessam. Cum enim a donatione Ottoni III. usque ad privilegium Henrici 49. anni affluxerint, fieri potuit, ut qui eo tempore vixerint episcopi multa distraxerint, et alienarint. Cumque Obricus Manfredi potentissimi illius Secusiorum Marchionis frater ad eam sedem fuerit assumptus, et a suis subditis (Hermano Contracto teste) occisus, probabile est eam Civitatem, vel inde mortui fratris vindictam a Manfredo Marchione captam, vel aliquo alio contractu in manus eiusdem Manfredi devenisse

//

Pag. 16. lin. 7. (non 2.) Cumque Olricus Manfredi — frater ad eam assumptus, a suis Subditis (Hermano teste) fuerit occisus, probabile est eam civitatem inde mortui — fratris vindictam, a Manfredo captam

Resp. Apertam calumniam hanc esse, ipsimet verbis Hermani Contracti a te pag. 63. relatis, perspectam — eodem loco faciemus. Nunc quantum a veritate, et a — pietate Manfredi abhorreat, quod probabile esse dicis, — ostensuri. Nam primum. Si uti tu cum auctore chronologicæ Historiæ, persuasum habere præteferis huius civitatis — dominium ad Episcopum pertinebat, quomodo præsumi potest, ut tam pius Princeps, ob civium culpam, hanc — sanctam Dei ecclesiam illius dominio privarit? Deinde, si, uti ex Taurinensis ecclesiæ monumentis tradit †. — Pingonius, Manfredus, aliquanto ante Alricum diem suum obivit, et hic apud illum in Sacello Ss. Trinitatis sepulturam accepit, quomodo potuit Manfredus in demortui fratris — vindictam, urbem capere? Ecce in quas salebras incurrunt qui non bene semel excogitata, novis commentis suffulcire nituntur. Quale est etiam quod ex Ludovico tuo ita subinfers

† in Aug. Taurin.

Eadem pag. lin. 12. Et his causis adductus Ludovicus — ab Ecclesia, allata Sigoni authoritate, Manfredum Astæ — Marchionem appellat, et arbitratur hanc esse causam, cur — mortua Adelasia Marchionis illius hærede, Henricus III. eius — civitatis dominium Ottoni Episcopo restituerit = Non modo — malam fidem, sed et inscitiam, et levitatem suam Ludovicus — hic tuus prodidisse comprobatur. Malam quidem fidem, quia — uti testantur verba eiusdem Præcepti, Henricus non quidem — dominium civitatis, ut ipse Ludovicus ait, sed Comitatum, — qui est infra Astensem Episcopatum, Ottoni Episcopo concedit — Inscitiam, quia si pro ratione sui senatorii muneris, in — Additione ad Auth. collationes, Tabulas pacis Constantiæ — consuluisset, utique intellexisset cum comitatu Episcopis — in Civitates a Regibus concesso, nullum dominium simul — in illas collatum: cum ex iisdem Tabulis appareat fuisse ipsismet civitatibus, res suas publicas, cum omnimoda — libertate, sub unius Regis immediato dominio, administrandi ius confirmatum. Levitatem denique, quia hoc loco cum Sigonio Manfredum Astæ marchionem appellat, at pag. 64. eiusdem — I. lib., lin. 10. sanius sapiens, affirmat hac in re allucinatum — Sigonium, quod legeret Manfredum Astæ egisse apud Alricum — fratrem. Verum enim vero quando aliquis ex rerum Sabaudicarum seu huius regionis Historicis, titulum marchionis Astensis — Manfredo tribuisset, merito gloriaremur, quod hic marchio — (quem marchionum omnium potentissimum, ac ditissimum — appellat †. Glaber) dominium tunc obtinuisset hujus civitatis, quæ nunc cum suo Simone Majolo se felicem putat, quod — nepotum illius ex Adelaide filia sit addita ditioni. Verum cum

† lib. 4. cap. 2.

apud huiusmodi auctores, etiamsi ea omnia, quæ ad huius familiæ decorem spectarent, et solerter indagarint, et diserte tradiderint, nil tale habeatur, nec alicubi Marchionatus titulus (ut alia argumenta sileantur) huic civitati legatur attributus, et e contra constet ex præcitatis diplomatibus Ottonum, ac Pontificum, episcopum in hac civitate habuisse tunc districtum, seu comitatum (nedum teloneum, aliaque iura marchionibus debita) dicemus Sigonium non tantum ratione adducta a Ludovico, sed et rerum huius regionis omninoda ignoratione, ea una vice, qua in tota sua Historia huius Manfredi mentionem facit, eum marchionem non Secusiæ sed Astæ appellasse. Hanc vero ignorationem probat +. cathalogus monumentorum, et auctorum, quorum præsidio suam de regno Italiæ historiam conscripsisse se facit in quo cum recenseantur ad 34. archivia, et 80. Scriptores, nullum tamen archivium, nullus scriptor de rebus huius regionis proprie agens, ibi denotatur. In comprobationem vero eiusmodi ignorationis, istiusmet nostræ civitatis respectu, adduci præterea posset, quod nomen ipsius urbis cum aspiratione perpetuo scribens Sigonius, in eorum opinione se esse indicat qui eam ab hasta Pompei ita denominatam tradiderunt. Itemque quod agens de discessu Federici e villa Antiniaco, seu Antignano dicta, ad quam, post celebratum Albæ natalem Domini, se contulerat, ita subiungit = +. Cum Astam venisset, neque receptus esset, ira percitus, urbem, arcemque, qua cives animos extulerant, diruit = Qua in re si tempus huius discessus cum data diplomatis, quo regalia Astensibus confirmavit Federicus, conferatur, illum errasse apparebit. Siquidem, uti tradit +. Radevicus, qui aderat, Fridericus Antiniaci festivitatem Luminum, hoc est B. V. Purificationis anno 1159. celebravit. Diploma vero datum fuit apud villam regiam Marengam, seu Marniacam dictam (quam Federicus ut ait idem +. Radevicus, Antiniaco petierat) die 16. eiusdem Februarii: ac proinde eodemmet tempore Federicus Asta transit, quo Astenses cum illo agebant pro obtinenda confirmatione regalium, ratione ex Sigonio initio allata.

+. In calce ipsius Historiæ.

lib. 12. An. 1158.

lib. 4. c. 10. et 23.

+. eod. lib. cap. 25.

In eiusdem vero ignorationis rerum nostrarum in Sigonio, quoad cæteram hanc regionem, probationem, sat, nec abs re erit referre, ipsum Sigonium inter eos, quos ex Alerami Montisferrati marchionis filiis, Otto III. marchiones creavit, reponere marchionem Salutiarum. In quo non modo peccavit ratione temporis, cum ut tradit +. Iafredus ab ecclesia, probatæ fidei auctor, Salutiæ non nisi post undecimum sæculum, et translatum in eas a marchionibus Vasti suam sedem, marchionatus titulo decoratæ fuerint, sed etiam ratione dominii, ad quod tunc illæ pertinebant. Neque enim istud tunc ad eos, qui Marchiones Salutiarum deinde sunt dicti, sed ad marchionem

in hist. Salutiensi MS. in fete

Manfredum, de quo nunc agitur, spectabat. Unde inferimus easdem Salutias, nostra aetate, huius Manfredi ex Adelaida nepotibus, ac successoribus, a Rege Galliarum non tam cessas, quam restitutas. Quod primum probare licet ex publico documento + anni 1028; in quo idem Manfredus, assignando varia loca, et bona Abbatiae Caramaniae, a se cum Berta uxore fundatae, recenset = Tertiam partem de Corte Tertia, et de eius pertinentiis quae Saluria vocata est, excepto de castro, quod in eodem loco est positum = Et deinde ex notis publica, in qua Adelaidis quaedam bona donat abbatiae Pinerolienси a se fundatae his verbis +. = sedimentum unum cum vinea, et area, cum aedificiis omnibus iuribus meis, quod habere visa sum in quadam mea villa, quae vocatur Salutia = Quam tamen villam Salutias, seu Salutiam dictam, non rusticam tantum fuisse, ut haec verba sonant, sed et urbanam, et Regibus ipsis excipiendis aptam indicavit Aimoinus Monachus his verbis = +. Dominus Carolus habuit conventum generalem in Voermatia civitate: Bertrada vero mater Regum cum Carolo mano minore filio apud salutias locuta, Italiam proficiscitur: adoratisque etiam Romae Sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios in Galliam revertitur.

+. Conradi 2. indict. XIV. V. Idus Iunii. ex Archiv. Abb. Caraman.

+. 16. Maii. Indic. VII. et Arch. Abbat. Pineroliј

+. Lib. 4. De Gestis Francor. Cap. 68. circa an. 760.

Ad. pag. 16. lin. 23. Nec per verbum infra intelligendum est civitatem ipsam excludi.

Resp. Quemadmodum tuus Ludovicus pro comitatu legit Dominium, ita et tu, infra civitatem vis haberi, cum tamen ipsum praeceptum habeat = infra Astensem episcopatum = prout suo loco retulimus in Clypeo. Unde nunc iterum dicimus, nomine Episcopatus civitatis, aut Comitatus, (ubi hic pro civitatis ditione ponitur) nequaquam venire ipsam civitatem, prout constat ex ipso usu, et probari potest ex verbis a te ipso ex praecepto Ottonis III. pag. 14. lin. 17. relatis = nempe infra civitatem, et infra totum episcopatum = Itemque ex praecepto Friderici I. initio relato nimirum = dimidiam partem ex ipsa Civitate et dimidiam extrahendam de comitatu illi commisso, et episcopatu. Addo autem comitatum, quem supra monstravi habuisse episcopos in hanc Civitatem, minime hoc praecepto donatam ab Henrico III., verum ab Ottone I. sublatis ex ea, sicut et ex aliis, Comitibus, ad quos (veluti postea ad episcopos, sive ad Regios Missos) a civili Magistratu fiebat appellatio, uti perspectum faciunt verba, quibus Otto III. huiusmodi Comitatum episcopo confirmavit, a te relata pag. 14. lin. 15 = nempe cum placitis, et omnibus publicis vectigalibus = Cum illis placitis scilicet quae a iudicibus a civitate electis, ad episcopi = comitatum, infra Astensem Episcopatum = significari illam facultatem iurisdicendi, quam legimus

+ Pars. 3. cap. ult. apud + Raymundum (qui eam quoddam dominium, et iurisdictionem dicit) Ottonem episcopum ad Henrici curiam profectum, obtinuisse Adelaidi matri super totas comitatus, per quam Vassallorum Regis subditi, ad illam antequam ad ipsum Regem provocare possent. Qua ex re inter ipsam, et Vassallos orta fuit contentio cum ea urbis pernicie, quam Alferius etiam ad annum 1091. commemorat, addens eodem anno illam obiisse.

De qua Adelaide praeterea videtur adnotandum, quod licet ratione huius comitatus, uno dumtaxat anno ante obitum, ab Henrico in episcopatum Astensem illi collati, non autem respectu Comitatus civitatis, longe ante, uti supra probavimus, episcopis a regibus concessi, Astensis Comitissa potuerit appellari; non tamen tunc primum, nec ab hoc comitatu, Comitissae titulum fuit consecuta; verum a tempore, quo Comiti Maurianae in uxorem tradita fuit a Manfredo patre. cui licet successerit in marchionatu Secusiensi, aliisque pluribus locis in subalpina Italia, et per Liguriam constitutis, titulum tamen comitissae (eodem plane modo, quo Berta ipsius mater, et Mathildis Azonis Atestini marchionis uxor, aliaeque principes faeminae eius aetatis marchionum uxores, seu haeredes) semper retinuit. Quod, ut opinor, comitum munus in iudiciis per se, vel per alios exercendis, positum, ei sexui, sicut olim Deborae, magis congruere videretur, quam Marchionum (quod erat marchas sibi commissas per se ipsos armis tueri.

Telum IV. pag. ead. 16. lin. 6. excusso Ecclesiae iugo vixit Rerumpublicarum more

Resp. Spirituale ecclesiae iugum omnium primam inter huius ditionis civitates, subiisse Astam a S. Syro cum Ticino, Genua, et Derthona, ad Christi fidem conversam non inficiabitur qui meminerit hunc Sanctum primas Evangelii faces in Galliam Cisalpinam praetulisse. Quantum vero fidelem, ac perseverantem in eo ferendo se praebuerit, Simon Majolus in sua de Romanis pontificibus Historia significavit, dum agens de episcopis, qui Synodo Mediolani An. 451. sub Leone I. celebratae subscripserant, haec ait = Nos autem eo libentius horum omnium nomina hoc loco recensenda voluimus, quod inter hos patres, Maximi illius Taurinensis insignis viri habeatur memoria. Gaudemusque non parum, urbis Astensis, unde nos originem traximus, episcopum, eidem Synodo, et praesentia, et subscriptione fuisse suffragatum. Quandoquidem ea urbs semper in Apostolicae Sedis communione perseveravit, perseverabitque eadem

//

illi Divina gratia opitulante = et in Joanne XV. dum, post expensum, celebratumque favorem, quo Salvator prosecutus est Sabaudam Familiam, sacram Syndonem illius fidei committendo, hæc subdit = Hac ergo ex re me felicem sæpe putavi, quod in illius ditione, Astæ scilicet, urbe pervetusta Italiæ fuerim editus, quæ catholicis tum institutis, tum ritibus, tum viris sacris, ac doctis referta est, ab omnique hæresis contagione semper libera. =

Temporale porro iugum Ecclesiæ eadem nunquam excussit, nec unquam subivit. Ac proinde non e tempore, quod talium privilegiorum concessionem consecutum fuit, rerum publicarum more vivere cœpit; sed ab anno 774. quo Carolus Magnus Desiderio rege in potestatem redacto, novam formam ipsius regni administrandi, prout eius ætatis Historici tradunt, præscripsit = Nam (ut ait Sigonius harum rerum solertissimus indagator) †. Ducatum Beneventanum Aragiso Desiderii regis genero, Spoletanum Hidelbrando, Foroiuliensem Rodgando permisit. Regni Limites, quos Marchas vocabant (unde Marcharum Præfecti Marchiones dicti) Marchionibus administranda commisit. Reliquas civitates in verba Regis iurare instituit; ipsisque civitatibus certa tributorum genera imposuit, Foderum, Paratam, et Mansionaticam appellata, itaut aliquam libertatis speciem Italiæ præbuisse videretur. † Hæc porro libertas civitatum in eo posita erat, ut leges, consuetudines, iurisdictionem Magistratus, et vectigalia sui fermè iuris, atque arbitrii haberentur =

†. lib. 4. an. 774. in Carolo Magno.

†. lib. 7. ad an. 973. in Ottone I.

Atqui dices: si Astensibus episcopis nunquam ipsius civitatis dominium concessum fuit, quanam de causa episcopi, civesque inter se toties decertarunt? Quia nimirum Imperatores episcopis, et Civitatibus illa eadem, vel eorum partem concesserant, quæ quoniam reges sibi reservata esse voluerunt, Regalia nuncupabantur. Hæc vero, uti patet ex Friderici I. diplomate, †. quo ista Astensi civitati, prætio marcharum argenti CL quot annis persolvendarum, confirmat An. 1159. fuere = Districtus civitatis cum castris, seu villis in eo consistentibus, monetæ, viæ publicæ, aquatica, flumina, publica molendina, furni, forestica, mensuræ, bancatica, ripatica, portus.... redditus, sestaria vini, et frumenti, et eorum =

†. Dat. apud Marengam XV. Kal. Mart. An. Regni 7. imper. 4.

quæ venduntur ad mensuram; placita, battalia, rubi, restitutiones in integrum minorum, et alia omnia = certe plura horum ab imperatoribus donata fuisse Astensi ecclesiæ, iam ex præcitatorum præceptorum verbis exploratum habemus. Eadem vero illa sive ab iis, sive ab aliis eiusdem tempestatis regibus, seu Cesaribus civitati fuisse concessa licet probare non possimus earundem successionum diplomatibus, quod eodem, quo ipsa urbs incendio a Federici exercitu anno 1164. immisso, conflagrarint, possuimus tamen hoc astruere tum aliis argumentis, tum præcipue eo ipso, de quo nunc egimus Federici Enobarbi diplomate: in quo inprimis confirmavit Districtum Villarum numero 47. ibidem nominatim designatarum, affirmando quod illud cum ipsis villis solita erat civitas possidere. et deinde cœtera regalia uti supra enumerata. ex quo perspectum fit apud eosdem Cæsares civitatis causam potiorem fuisse, utpote quæ non quidem gratioso veluti episcopo, sed oneroso titulo ab eisdem imperatoribus Germanis pecuniarum semper egentibus, ipsa regalia comparasset.

Et his causis adductus Ludovicus ab ecclesia primo Libro suarum Historiarum allata Sigonii auctoritate, Manfredum illum Astæ Marchionem appellat, et arbitratur hanc esse causam, cur mortua Adelasia Marchionis illius hærede Henricus Tertius Imperator eius Civitatis dominium, reservata sibi tantum suprema iurisdictione, ut et alii Imperatores fecerant, episcopo Ottoni restituerit, et si enim huius donationis valor quia requisitas omnes solemnitates non habet ab adversario impugnatur, cum tamen in aliis authenticis, quæ sunt in libro viridi, inveniatur, fide carere non debet. Nec per hoc verbum infra, intelligendum est, civitatem ipsam excludi; nam hæc præpositio infra, in antiquis privilegiis (ut videre est in Italia Sacra D. Abbatis Ferdinandi Ugelli) aliud non significat, quam intra, nisi forte velimus dicere tam in hoc Astensi diplomate, quam in aliis, vel incuria, vel ignorantia eorum, qui transumpta

Non manca neppure
una <u>parola</u>.

sumpta ex originalibus descripserunt, factum esse propter affinitatem litterarum, ut loco intra, scriptum infra perperam legatur.

Postquam Astenses, seu potius qui sub illorum nomine, et fortasse ipsis ignorantibus (ut credendum est) lacessendæ maledictis Chronologiæ nostræ provinciam susceperunt, nullo humanæ fidei fundamento innixi, Episcopos suos negato illorum temporali in suam Civitatem dominio gravibus iniurijs affecerunt. hoc Cap. 4. quem rapuerunt Episcopis honorem, restituere conantur; dum ante alias Sabaudæ ditionis Civitates sacris veræ fidei rudimentis initiatas se se gloriantur, Ecclesiamque suam Christi primogenitam appellari contendunt, non animadvertentes se dum in meridie lucernam volunt accendere, tenebris Cymmerijs immergi: magnetica ut aiunt, D. Syri Papiensium Antistitis prædicatione attracti damnato Idolorum cultu per viam veritatis in offenso pede primi decurrerunt, quod (pace illorum dictum sit) aperte falsum est.

Obiecta Capite IV. Illustrationis.

Pag. 17. lin. 16. Dicunt: Divi Syri Papiensium Episcopi prædicatione, per viam veritatis primos decurisse. Quod (pace eorum dictum sit) aperte falsum est. Nam quod Barnabas Apostolus Evangelij semina per Galliam Cisalpinam diffuderit, Ecclesiastici Historici uno ore confitentur.

Resp. Ut perspiciatur, quisnam falsum dicat, de S. Syro notandum, + Quod cum acta ipsius, nec non S. Iuventij perhibeant, ab ipsis, post Ticinum conversam fuisse cum Genua, et Derthona, nominatim etiam Astam, iisque Actis concinat Martyrologium Romanum, illis verbis: 12. Septembris, apud Ticinum, S. Iuventij Episcopi. is a B. Hermagora discipulo S. Marci Evangelistæ, ad eam urbem cum S. Syro directus est; et ambo illic Christi Evangelium prædicantes, et magnis virtutibus, ac miraculis coruscantes: etiam vicinas urbes divinis operibus illustrarunt. unde constat: eodem proculdubio anno, Sanctum Syrum Ticinum cum S. Iuventio quo S. Hermagoras Aqueleiam profectum fuisse. + Cum itaque de S. Hermagora tradatur, fuisse eum Aqueleiæ suffectum S. Marco: hicque iuxta +. Eusebij chronicum, anno 46. a Christo nato, Alexandriam se contulerit, S. Syrus anno saltem sequenti advenisse Ticinum erit dicendus: prout tradit etiam Baronius ad annum 46. his verbis. A Petro cum primum Romam accedens, in ea suam sedem instituit, acceperunt Episcopos Siciliæ Pancratium (et post alios) Ticinum Syrum Aquileia, post Marcum, Hermagoram. Quæ cum ita probata, explorataque sint, tu tamen non vereris affirmare pag. 17. lin. ultima, S. Syrum iam

+. Relata ab author. Papiens.

+. Martyrologia diversa.

Olympiade 206. 1. an. Incar. 46.

recepto in Cœlis Barnaba, vel multis post annis vixisse. Et pro S. Iuventio, a S. Hermagora in Comitem, ut testatur Martyrologium; S. Syro tradito, supponere illum Iuventium, qui quarto ab eo seculo, contra Arianos Mediolani disputavit quique epistolæ S. Ambrosij ad Siricum subscripsit? et, ut monet idem Baronius, non Ticinensis, sed Cenetensis Episcopus fuit. Itane in Sacris historiis, ut Astensibus qualitercunque detrahas, Lectores ludere lubet.

Quoad S. Barnabæ in Galliam Cisalpinam adventum, nugari mihi item videris, dum dicis, quod Historici omnes uno ore, illum admittunt; cum ante tertium decimum Seculum, nulla apud quemque eorum, huiusce rei mentio extet. E contra verò Sanctus Innocentius I. ad Decennium ita scribat +. Manifestum est: nullum hominem in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam instituisse Ecclesias; nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut eius Successores instituerunt Sacerdotes. Et nullibi legi, quia nusquam invenitur, aliquem alium Apostolorum in his Provinciis docuisse. Quæ cum Baronius, pro indubitato retulisset anno 46. n. 1. ad annum deinde 61. n. 50. ostendit, S. Innocentium non exclusisse Paulum, Petri individuum comitem: sicut exclusit cæteros Apostolos. Ex quo apparet, ipsum Baronium nequaquam suum sensum secutum, sed fidei scriptorum Mediolanensium tantum noluisse detrahere, cum ad annum 51. n. 77. dixit: cum plurium scriptorum testimoniis probari, Sanctum Barnabam Mediolani, et in Liguria prædicasse. Et ut omittamus ea, quæ ex Actis S. Syri contra hanc opinionem +. afferuntur, ipsemet S. Ambrosius adeo in tot suis operibus S. Barnabæ non meminit, ut eandem opinionem non obscure etiam improbare videatur. +. In Concione siquidem de Basilicis hæreticis non tradendis, cum dixisset: Ecclesias quasque esse hæreditates à Christo, et a prioribus Episcopis, ad posteriores devolutas, de sua Mediolanensi subinfert. Ecclesia hæc hæreditas Christi est: hæreditas Dionisij, hæreditas Eustorgij: hæreditas Mirocles, et aliorum Episcoporum. Ita Ambrosius; Qui dum S. Barnabæ non meminit, quem priori loco post Christum, utique collocasset, si Ecclesiam illam fundasset, etiamsi illum Episcopatum usque ad mortem non rexisset, hanc ipsam opinionem erroris aperte damnat. In Oratione præterea a Sancto +. Petro Damiani habita ad Mediolanenses, legimus, eum ad ipsorum memoriam, tanquam rem exploratam revocasse: a S. Nazario Roma ad eos profecto, eam urbem in Christiana fide primitus institutam. Quæ certe non commemoravissemus, si non videremus, hanc opinionem ab ipsismet Mediolanensibus Scriptoribus reprobari: et præsertim

+. Epist. I.

+. Gualla et Spelta in S. Iuventio.

+. tom. 5. Concio. de variis Actio. Concl. 1.

+. Epist. ad Hildebran.

ot. Mediol. 1. adan. lib. ag. 18.

à Calcho t. de illa ita disserente. Invaluit apud quosdam opinio, Barnabam Pauli socium Christianæ religionis Mediolanum transmissæ fuisse Principem. Memorantque id scriptum à D. Hieronimo in epistola ad Cromatium, et Heliodorum. Itemque à Dorotheo, Dionisy Areopagitæ discipulo, in libro, quem is fecerit de Actis Apostolorum. Alius ex epistola Clementis, idem constare asserit, quæ ego testimonia, etsi Calieno quoque studio usus) peravide conquisierim, hactenus tamen non inveni. Unum quidem observavi apud Clementem in itinerario: Barnabam Roma in Gallias profectum. ex quo potuit, in amplissimam tunc Urbem Mediolanum, divertere. Cæterum magis convenit: Anathalonem genere Græcum primum in Episcopatu a Barnaba ipso institutum. Hucusque Calchus. Qui scite sanè Itinerario Clementis Libro Recognitionum item dicto, non plenam adhibet fidem: quod a patribus tum a Grecis, tum Latinis, pro supposititio habeatur. Et Baronius ad annum 51. n. 36. monet ea, quæ de S. Barnaba in eo dicuntur esse falsa.

Relatum a Baron. in Not. 25. Septemb.

In C. 15. Act.

Sed esto, t. quod S. Barnabas in Insubria fuerit: sicque fides Epitaphii, a Mirocle positi Anathaloni, Mediolano à S. Barnaba Brixiam amandato, etiamsi unius Alciati dicto subnixa; sententiæ SS. Innocentii, et Petri Damiani, sit præferenda; nunquid hoc ante S. Syri ad Ticinensem, aliasque vicinas urbes adventum, accidisse dicendum? Non certè: cum hoc non potuerit fieri, antequam se a S. Paulo dissociaret: quod anno 51. iuxta Patrum sententiam, contigit. Imo nec ante annum 57. quo obiit Claudius Imperator, uti probat Baronius ad eum annum num. 36.

Nam quod Barnabas Apostolus Evangelii semina per Galliam Cisalpinam diffuderit Ecclesiastici Historici uno ore confitentur. Si ergo hic Apostolus prius quam Syrus hujus sæculi lucem videret, evangelizando hanc regionem nostram, magno cum fructu peragravit, planamque Liguriam cælesti fidei rore irrigavit: qua veritate dicunt Arenses se primos laticeo è Christiano fonte hausisse? D. enim Syrum recepto iam Cælis Barnaba, vel iussu Hermagoræ Episcopi Aquileiensis Discipuli S. Marci Papiam venisse (ut Luitprandus, Adon, et Usuardus testantur) vel multis post annis vixisse manifestum est, ut colligitur tum ex vita ipsius, quam conscripsit Iacobus Gualla Papiensis cum S. Iuventij socium appellans, qui Mediolani contra Arianos disputavit, et epistolæ Sancti Ambrosij ad Syricium Papam subscripsit, tum ex eo quod scripsit Ferrarius in suo de Sanctis Italiæ Cathaloge, nimirum quod ille Sanctis Evasio, et Protasio Papiæ templum consecravit, qui teste Baronio post annum 170. martyrij palmam consecuti sunt; Sed quoniam ea res

//

Taurinenses, et Vercellenses tangit, quos Princeps Apostolorum Petrus, dum Roma in Galliam transiens, Novaleriam usque penetravit, ante Astenses conspectu suo dignatus est (ut narrat Baldesanus) hanc de antiquitate fidei quaestionem discutiendam relinquentes; Quo tempore haec Civitas Reipublicae sumpserit initium, vel ut melius dicamus rerum publicarum more vixerit, videamus.

Pag. 18. lin. 11. Sed quoniam ea res Taurinenses, Vercellensesque tangit: quos Princeps Apostolorum S. Petrus, dum Roma in Galliam transiens, Novaleriam usque penetravit, ante Astenses conspectu suo dignatus est.

Resp. Non modo hoc lubenti animo recipimus: sed miramur, a quibusdam auctoribus hanc traditionem posthaberi opinioni, quam de Sancti Barnabae adventu, Mediolanenses vulgarunt. negamus tamen cum [a] Baronio, ad has ulteriores Italiae partes accessisse Petrum, ante celebratum Apostolorum Concilium Hierosolymis: ad quas per Africam, et Aegyptum, se contulit anno 51. salutis nostrae: cum edicto Claudii, Roma discedere coactus fuit.

[a] An. 51. n. 1., et 58. n. 44.

Non inficiamur, quin capto Desiderio Rege, et attritis Longobardorum rebus Carolus Magnus reformata Italici Regni administratione, sub initium multos Duces in illorum gubernijs confirmavit, custodiendis Regni limitibus Marchiones praefecerit, sub suo denique Imperiali dominio gubernantibus Comitibus, nonnullas Civitates reservavit, ut per multos annos sub alijs qui successerunt Italiae Regibus continuatum est: dicimus tamen, quod etiam si Asta una ex eiusmodi Civitatibus fuisse videatur, huius rei inditium faciente quadam scriptura anno 940. per Comitem Otbertum in suo Suburbio, non ideo sequitur Astenses ex illo tempore in libertate vixisse, quemadmodum neque Respublicae appellari possunt, quae Galliarum, vel Hispaniarum Regibus subditae parent, sed rerum publicarum more regi coepisse, cum Federicus primus Imperator, sive extincturus ardentes quotidie inter populum Astensem, et eius Episcopos discordiarum flammas, vel causa regalium, ut asserit auctor Clypei, vel quod ea Civitas Ecclesiae iugo patientem cervicem accomodare nesciret, sive ad bellum quod adversus Adrianum Pontificem moliebatur sibi reconciliaturus Astensium animos, quos gravi illorum damno prius irritarat, fecit facultatem Rectores, et Consules pro arbitrio eligendi, et mediante Canone perpetuo erga Imperium, Castellorum quae possidebant dominium confirmavit, ut Reipublicae more viverent concessit, adiecta Castri novi, et regalium possessione, quae praedecessores eius Ecclesiae donarant, quae omnia patent ex tenore sequentis privilegij.

//

In nomine Sanctæ, et Individuæ Trinitatis, Federicus Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, Universorum Christi, et Imperii fidelium tam futura quam præsens noverit ætas, quod Astensem Civitatem in nostram iurisdictionem, et specialem potestatem suscepimus in qua honorem, et servitium Imperij cum omni libertate ordinantes Rectores nostros pro nostræ voluntatis arbitrio in ipsam statuimus, videlicet Carioth, et Robaldum Gardinum, et Petrum Corterium, quibus curam, et custodiam, et regimen Civitatis intus, et extra de his quæ pertinent ad regalias cura commisimus, cum districto Villarum, quarum districtum soliti erant habere, quarum nomina sunt hæc, Azanus, Monsmarcidus, Nantheus, Castrum Gardini, Berengarius, Sanctus Marcianus, Quatordeum, Mibellus, Quartus, Scrizolengus, Curtiscomarius, Castellionus, Canaglyge, Grixanus, Barchus, Vial, Dicianus, Milledolium, Max, Jelliolas, Caxanus, Celle, Terralema, Cunignanus, Antegnanus, Castellioni, Vallege, Camayranus, Jaxere, Solium, Monsporcinus, Sexant, Vallis Albugnana, Ripa rupta, Monstegletum, Hercule, Molegnanus, Plaz, Reuigliascus, Varaglanus, Planum S. Michaelis, Mons Baldicherius, Curtisfrancisca, Caspencius, Cerreta, Padernus: et si quæ aliæ domus sunt, in quibus soliti erant Districtum habere. Ut autem præfata Civitas in omni fidelitate devotior: et ad servitium Imperii semper inveniatur paratior, ipsam Civitatem, et Episcopatum, et Comitatum, et omnia supra memorata, prædictis tribus Astensibus Potestatibus excepto Fodro Regali, hoc tenore commisimus, ut singulis annis, in festo S. Martini, centum et quinquaginta Marchas argenti Fisco Imperiali persolvant: dimidiam partem de ipsa Civitate, et dimidiam extra de Comitatu sibi commisso, et Episcopatu. Præterea castrum nostrum Nonum cum omnibus eius pertinentiis, eius Civitatis Rectoribus hoc pacto commisimus, ut similiter in festo S. Martini singulis annis, quinquaginta marchas argenti nobis inde persolvant. De cætero hanc potestatem sibi commissam, et in Civitate, et in Comitatu prædicto, tandiu Rectores habeant, quandiu Majestati nostræ in ipsis bene complacuerit. Adicientes quoque constanter statuimus: Quod prædictam potestatem de Civitate, de Comitatu, de Castro, nulli Archiepiscopo, nulli Episcopo, nulli Marchioni, nulli Comiti, nulli potestati unquam concedemus, nisi solis nostris fidelibus de ipsa Civitate: quos ad nutum nostrum eligendos ordinaverimus. Prædictæ vero quinquaginta Marchæ de Nono castro, debitæ de pertinentiis eiusdem castri accipiantur. Quia vero superius mentionem de Regalibus fecimus; ne quis de eis dubitet, nominatim ea exprimimus. Hæc itaque Regalia dicuntur: Moneta, viæ publicæ, Aquatica, Flumina, publica molendina, Furni, Forestica, Mensuræ

Bancaticas, Ripaticas, Portus, Argentaria, Pedagia, Piscationis reditus, sextaria vini et frumenti, et eorum quae venduntur ad mensuram, Placita Batalia, Rubi, Restitutiones in integrum minorum et alia omnia, quae ad Regalia iura pertinent. Rei testes sunt Otto Comes Palatinus, Rodulfus Comes de Julledot, Marchio Obizzo Malaspina, Euerardus Bambergen. Episcopus Conradus Comes Palatinus de Reno, et alii quamplures.
Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.
Datum apud Marengam XV. Kal. Martij.
Ego Rainaldus Sacri Palatij Imper. Cancellarius recognovi.
Acta sunt haec anno Dominicae Incarnationis MCLIX. Ind. VII. Regnante D. Frederico Roman. Imperatore Sereniss. anno Regni eius VII. Imperij vero IV.

Hinc aperte, sed longe apertius ex ipsa intitulatione caractere rubro exarata ab hinc annis 360. per Alferium, qui publicas scripturas illius Civitatis compilavit. Haec autem sic ait: Privilegium D. Frederici dicti Barbarubei Romanorum Imp. de libertate, et concessione facta communi Astensi de Villis veteribus ut infra. Constat Astenses non ante annum 1159. habuisse libertatem, et privilegium more rerum publicarum vivendi, et a Friderico Barbarubeo, qui tunc schismaticus erat, et acerrimus Ecclesiae hostis, quem auctor Clypei Cap. 16. non habita dignitatis Imperialis ratione accepti beneficij penitus immemor, perfidum Tirannum, barbarum, crudelem, et implacabilem appellat, et Pingonius, largum alieni donatorem, utpote qui legitimis Dominis rapiebat, quod assedis suis largiretur.

Pag. 21. lin. 12. A Federico Barbarubeo, qui tunc Schismaticus erat, privilegium anno millesimo centesimo quinquagesimo nono habuisse.

Resp. Haud vere hoc dicis in Astensium vituperationem. Nam privilegium, uti ex illius data apparet, concessit Federicus anno 1159. die 15. Februarij, Hadriano IV. Pontifice summo: schismaticum vero Antipapam fovendum suscepit, sub finem eiusdem anni, cum Alexander III. legitimus Papa, illius iudicium subire, uti par erat renuisset.

Cur igitur Astenses 400. annis ante per Carolum Magnum Imperatorem partam sibi libertatem vana ambitione gloriantur? Si admittunt inter cives, et Ecclesiam Astensem obortas saepius graves rixas, causa Regalium, quae diversi Reges, et Imperatores, modo Civitati, modo Ecclesiae concesserant, cur temporalem iurisdictionem Episcopis, quae potissimum consistit in exactione Regalium, negare praesumunt? Quid mirum si furentibus hisce discordiis populus potens, et ad arma paratus inexpertos, et imbelles Episcopos, et propriorum subditorum defectione et militum, et pecuniarum nervo destitutos non semel

expulerit? Si titulus ipse rescripti Imperiali, et donationem loquitur, et concessionem; cur antiquiores alias, et quæ nunquam visæ sunt, neque combustæ (ut aiunt) comminiscuntur? cur persuadere volunt hanc esse nouam Frederici confirmationem? etenim quamvis Castellorum quæ iam Civitas possidebat confirmet dominium, loquitur tamen longe alio sensu, quando Rectores eligendi, et Regalia exigendi confert auctoritatem, nam et Gherium temporibus nostris, etsi Vassallos habeat sibi præstantes iuramentum fidelitatis, nostræ tamen Regiæ Celsitudini paret ut reliquæ Civitates, et municipia Pedemontij. Quin et Vercellenses licet usque ad annum 1300. ab Episcopis suis Podestariæ acciperent investituram, et illis subiacerent, multas tamen Castella, et Vassallos possidebant, poterant creare Consules, eligere Potestates, inire fœdera, mouere bella cum aliis Principibus, et municipiis vicinis pacem componere, nec reijciebant missos ab Imperatoribus, et Regibus Italiæ legatos; erant enim hi Episcopi, ut et Astensis Princeps Imperij, et in suis Urbibus fungebantur officio Comitum, donec, (ut omnium rerum vicissitudo est) eiusmodi auctoritatem Imperatoribus in alios Principes Sæculares transferre visum est. Denique si fatentur Astenses se pecuniis a Cæsare emisse libertatem, cur indignantur a nobis dictum fuisse, quod ijsdem suffraganibus eam defendere potuerint? Reliquum est, ut breviter ostendamus, quibus artibus immensas illas divitias compararint, quibus sustinendis tot bellis propugnandæ libertati adversus potentiores Principes, pares esse valuerint.

Si celebrandæ ab Historicis dumtaxat hominum, gentium, ac populorum laudes non damnandæ labes, non possumus confiteri nos graviter errasse, dicentes eiusdem paginæ linea 9. Potuique comparatis (teste Merula, et Blondo) iniustiori lucro diuitijs, suam adversus Principes tueri libertatem

Telum IV. pag. 23. lin. 9. Comparatis (teste Merula, et Blondo) iniustiori lucro, divitiis

Mirandum sane, ne dicam indigne ferendum virum sacrum, eoque loci, qui perfectionem exigat, constitutum, in historia sacra; non vereri civitatem, a qua minime sit læsus, eiusdem cum sua ditionis, et ut cætera omittantur, erga Deum ac communem Principem spectatæ fidei, ita lacessere: pro veris scilicet criminibus, ea obiiciendo convitia, quæ olim illius inimici (pro more eorum, qui vel armis, vel diversis inter se certant studiis) in Astenses petulanter iactare solebant. Sicque e memoriam inimicitiarum, seu simultatum iam obsoletam,

renovare. Ut igitur hoc etiam iniustioris lucri Astensibus falso obiectum crimen diluamus, unde illud obiectandi ansam arripuerint, qui Astensium gloriæ, ac potentiæ invidebant, erit breviter significandum.

Cum huius Civitatis ditio, et cum ea, frequentia civium adeò aucta esset, ut ipsius ager illi sustinendæ minime sufficeret (quod hic non satis latè pateret, ob castrorum propinquitatem ac numerum: et maxima eius pars ab ecclesiasticis teneretur) mercaturæ se dedendi consilium inierunt non tantum populares, sed illi etiam nobiles, quibus Castrorum redditus non suppeterent: rati hoc ipsis sine præiudicio nobilitatis, quæ fundis ad nobilitatem congruè sustentandam sunt destitutæ. Itaque anno 1226. ut ait Augerius † Alferius, mercimoniis emundis, vendundisque se dedere: tabernasque nummularias, quæ tunc Casanæ dicebantur, in Gallia, et in Germania habere cœperunt. Eodem scilicet modo, quo tunc plurium aliarum urbium cives factitabant: et nunc tum alibi, tum Genuæ potissimum usuvenit. Quoniam vero lucra quæque excambiis aliisvè eiusmodi contractibus percepta, adeo Theologi, et Canonistæ suspecta tunc habebant, ut etiam longo post tempore † pro illicitis aliqui damnarint ea, quæ à ministris Montium Pietatis percipiuntur: et præterea a consuetudine nobilitatis aliarum civitatum Lombardiæ hæc abhorrebant; Astensibus parum amici nobiles quidem ex iis trapezitas, et mercatores vocitabant: universos autem tanquam iniustioribus lucris deditos, sugillabant. Præcipuos autem inter parum amicos, tum fuisse Alexandrinos, satis superque historici testatum faciunt. Venetorum etiam offensionem incurrisse Astenses, foederatis Genuensibus pacta auxilia affatim suppeditando, quo tempore hæ duæ Respublicæ non magis armis, quam odiis inter se certabant, minime ambigendum. Nil igitur mirum, si Georgius Merula Alexandrinus, ac Blundus (qui Veneta Civitate donatus ei Reipublicæ, † ut ipse profitetur, cogitatione, et scripto opem et operam suam tenebatur impartiri) Astenses tam male habeant.

† in Memoriali ad ipsum an.

† Caiet. tom. 2. Opuscul. tit. 8 cap. 9.

† Epist. Num... de Gestis ...

Nequaquam vero iis assentiendum, qui Merulæ, et Blundo (qui ipsam civitatem iniustioris lucri criminantur) favere putant Glossam Ioan. Andreæ pro ad usurarum voraginem ita dicentis. Dicit Franciscus: quod hæc constitutio facta fuit propter Florentinos, Senenses, Pistorienses, Lucanos, Astenses; qui circuibant diversas provincias ad exercendas usuras immoderatas. Quin potius hæc ipsamet Glossa, horum obtrectatorum livorem magis nudare ac ipsam

civitatem ab hoc crimine non obscurè absolvere est censenda. Nam primò si non soli Astenses, sed tot aliarum Urbium cives ad usuras immoderatas, exercendas, provincias circuibant; cur Blundus, ac Merula illarum nulli, quando de iis agunt, sed soli Astensi id criminis obiiciunt? Praeterea, si ipsa Glossa, imo si ipsamet Constitutio Bonifacii VIII. nullatenus ipsas civitates, imo nec cives in ea, aut in aliis urbibus consistentes, sed quosdam earumdem errones cives dumtaxat, huius labis insimulat, cur isti in totam civitatem eam retorquent? imo esto, quod in eadem urbe aliqui huic culpae affines essent: quae Lex, quae ratio, quaeue schola permittit, ut quod de aliquibus dicitur, de universis praedicetur.

Adde ex plurium Episcoporum Actis satis constare id, quod hic idem auctor in Guidone significat. Cum scilicet invigilasse, ne ab iis erronibus velut contagione quadam, vulgaretur in cives hoc malum: idque certis editis legibus, ac statutis poenis: seu potius iis †. promulgatis, quae Mediolanenses Metropolitae ante statuerant: et ut ea promulgarent, suae provinciae Episcopis, ac Ceclesiarum Rectoribus mandarant. ex quibus apparet, proprium eius aetatis fuisse hoc vitium: sed prae caeteris praedictarum urbium cives notatos, quod eae opulentiores, ac proinde invidiae magis essent obnoxiae. Eosdemque errones ideo per exteras provincias vagatos ad exercendas immoderatas usuras, quod hoc illis in iisdem urbibus minimè liceret.

†. Relata c. 81. Constit. Synodal. Guidonis, et alior. epp. impress. an. 1539.

Ad authoritatem verò ex Blundo, et Georgio Merula allatam, magis elevandam minimè reticendum: fuisse hunc Merulam suaptè natura malevolum, ac dicacem: quemadmodum ipsemet apud †. Iouium, seu Latomum fatetur his verbis

†. in eius vita pag. 71. pag. 72.

Ingenio hoc vixi fateor: pluresque lacessi:
Pro rigido exercens scilicet ense stylum.
Parcebam nulli, gaudens, è caede frequenti
Lassa cruentatas figere in ora manus.

Quantò minus igitur sibi imperare potuit, ut parceret Astensibus: inter quos, et Alexandrinos, tunc perpetua dissidia, odiaque vigebant. Imitandus igitur potius fuerat alter †. Merula Vigleuanensis: qui Astam Urbem celeberrimam vocat. Blundus autem vel ex hoc Astensium gloriae invidisse convincitur, quod illos fraudare conatur ea laude, quam eis attribuit Claudianus, quando ab eisdem domitum fuisse Alaricum Gottorum Regem, ipsius Romanae Urbis paulo post domitorem, cecinit dicens.

†. Gaudentius l. 2. c. 1. de antiq. Galliae Cisap.

† Ligurum regione suprema
Pervenit ad fluuium magni cognominis Urbem
Atque ibi domitus: vix tandem, interprete casu
Agnovit dubiis illusa vocabula fatis.

† De bello Get. de victoria St. Liconis.

cum namque Alaricus, ad illa ex luco reddita sibi verba.

Rumpe Alarice moras: hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad urbem.

Romana urbe se eo anno potiturum sperasset, in ipsius anni exitu, sub Astæ mœbius consistere coactus, ipso casu (hoc est rei euentu) interprete, agnovit, dubiis fanis sibi illusisse vocabula. Asta namque Græcum vocabulum, idem quod Urbs Latinis sonat Nisi velimus per istud vocabulum Urbem cum +. Philippo Cluverio, +. Carolo Stephano, et +.+ Philippo Ferrerio, significari fluuium vulgo Borbo dictum, propter Astæ mœnia (ut eorundem verba reddam) decurrentem: et sub eisdem, in Lævam Tanari ripam defluentem. Apud Astam igitur, (quam pro ea magni cognominis dicta, quia à Magno Pompeio Asta Pompeia erat appellata, hic fluuius esset poetice positus) domitum Alaricum affirmat Claudianus: quia iam Pollentini attenuatum funere campi, ut idem ait, hoc est apud Pollentiam à Stilicone iam antea devictum, ac profligatum, Astenses illum rursus debellaverant (uelusi etiam notavit +. Gaudentius Merula) impedimentis spoliaverant, filiosque ipsius, cum mulieribus, cæteraque cariori præda, intra sua mœnia abduxerant. Unde vicem suam Alaricus dolebat dicens.

Nec me Pollentia tantum
nec captæ cruciatis opes: sed pignora nobis
Romanus, carasque nurus, prædamque tenebat.

Per Romanos utique intelligens Astenses, qui Romana civitate potiebantur, cum esset eorum Civitas Romanorum Colonia in tribum Polliam adscripta, et à Romanis starent, sub quorum mœnibus, ut liberos reciperet, velut obsessus consistebat: cum a tergo Stiliconis victor exercitus immineret: antè verò haberet victricem urbem; e cuius mœnibus miles per ludibrium, eosdem captivos liberos ostentabat, prout ipse lamentabatur dicens.

et miles probra superbus
ingerat obsesso: captivaque pignora monstret.

Quæ de ipsa Asta esse accipienda apertius etiam alibi cecinit idem Claudianus illam titulo vindicis (cladium scilicet ab eodem Alarico Italiæ illatarum) his versibus ornando.

Nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis: aut mœnia vindicis Astæ.
hic rursus dum pacta movet, damnisque coactus,
extremo mutare parat præsentia casu.

Etenim +. ut suos, suave intra eadem mœnia retentos reciperaret, pactus fuit cum Honorio, discedere ab Italia, et in Gallias ad assignatas sedes proficisci.

+. l. 1. c. 10. Italia antiqua.

+. In Lexico Geograph. v. urbs.

+.+. In lexico Topograph. v. urbs.

+. l. c. c. de Cisalp. ma[...]

ex plurimis epitaphiis.

eodem Libro.

In Panegyri de 6 Honorii Consulatu.

+. Paul. Diac. de Gestis Roman. L. 8. Orosius L. 7. c. 37. et 38.

Hac laude, inquam, ut Blundius fraudaret Astenses,
commentus fuit: haec omnia evenisse, non in Liguria, ut
apertissime cum Claudiano, tradunt omnes historici, et
ipsiusmet Pollentiae ruinae docent, sed apud aliam Pollentiam
prope Bertinorium, his verbis +. sub Bertinorii colle imminet
torrenti Auexae Pollentia oppidum: apud quem locum
ostendimus in historiis, praelium illud Romae, et Italiae
infelicissimum fuisse commissum: in quo lacessiti magis
quam clade aliqua confecti Visigotti, omissa ad Gallias
quam intendebant profectione, arma in Urbem Romam
converterunt. Et haec eadem affirmat +. Sabellicus, non
secus ac Blundius Venetis addictus, et in Astenses parum
aequus.

[R]egione 7. Ital. [I]llustr. in Romandiola.

[l.] 9. Ennead. 7.

Sed si historico praecepto iubemur, ut docet Mascardus,
neque virtutes, neque vitia reticere, ut quemadmodum gloria
comes individua virtutis, ad recte, et laudabiliter operandum
nobis incitamento est, sic et metu turpitudinis, quae semper
vitium comitatur ad illius fugam excitemur. Improbos timor
infamiae a malis facinoribus deterret, ait Diodorus. Ergo cur
Clypei auctor adducto duorum gravissimorum auctorum
testimonio Flavii Blondi scilicet, et Georgii Merulae, quorum
ille Eugenio IV. a secretis, alter historicus verax fuit, etsi
aliquantum in scribendo liber, ut ait Iovius, non ostendisse
conqueritur, qua ratione potuerit Asta Civitas, angusta
territorio, vix aliquot Castellorum domina adversus vicinam
maiorum Principum potentiam suam libertatem vindicare.
Cum nos non panegiricos texamus, sed historias, et Civitatis
Astensis encomia, ut et aliarum Civitatum Pedemontii
praedicaverimus: cur nobis non licuit obiter, et per
transennam verbis etiam diminutivis eiusdem urbis vituperia
delibare? Nonne poteramus eam cum Claudiano vindicem
appellare, cum Nicolao Gillio, Pingonio, Ludovico ab Ecclesia,
multisque aliis referre iniurias, quibus Astenses Thomam
Comitem Maurianae graviter affecerunt, non solum cum
Taurinensi populo, qui ab eo Comite desciverat, tulere
suppetias, sed maxime cum ipsum Comitem, et duos
eius filios, aliquot annis in foedo, et tetro carcere
habuerunt, malentes ab Alexandro 4. emissum
excommunicationis sustinere fulmen, et a S. Ludovico
Rege Galliarum banchis, et Casanis, quas in eo
regno possidebant cum incredibili suo damno spoliari
150. illorum Lugduni duris carceribus mancipari sex
annorum spatio, (ut narrat Alferius) quam praedictum
Comitem restituere libertati? nonne poteramus cum
Sigonio, et aliis dicere, Astam ex quo libertatem a
Federico acceperat pro Imperio fere semper contra

Ecclesiam dimicasse? non ne poteramus (inquiam) cum Ventura, Alferio, et aliis Scriptoribus enumerare stupra, adulteria, furta, direptiones, sacrilegia, homicidia, incendia, aliaque enormia facinora, quæ perpetrarunt Astenses furentibus bellis quæ vel in vicinos, vel in sua viscera crudelissime gesserunt. Verum sicuti nec omnes eius urbis laudes, nec omnia præconia describenda sumpsimus, ita nec nobis visum est operæpretium prodere omnes illius populi nævos nisi in quantum facit ad propositam materiam, videlicet ad brevem relationem situs, et status illius Urbis, et ad seriem Episcoporum.

Obiecta Capite V. Illustrationis

Pag. 23. lin. ult. Nonne poteramus cum Claudiano, vindicem eam appellare?

Resp. Si eo sensu, quo Claudianus, prout explicatur in Clypeo, satis, et vere id fecisses. Secus autem, si cum tuo Ludovico, et Gbertio: qui vindicem dictam putant, quod Pollentiam funditus euerterit. † Nam hoc septingentis circiter annis, a tempore Claudiani, ut ab antiquo hoste se liberarent, Astenses sunt executi. Quorum alioquin ingenia, adeo in vindictam non sunt prona, ut auctor libri inscripti, Maiolus de moribus Italorum (quod is scilicet nostri Simonis Maioli in Diebus Canicularibus, rationem disserendi sit imitatus) de illis ista protulerit. † Astenses quaslibet iniurias facilime devorant. Quod etiam ante pronunciaverat iisdem verbis, in suis Forcianis Quæstionibus, folio 6. pag. 2. † auctor inscriptus Philaletes Polytopiensis, de variis Italorum ingeniis. Qui fol. 8. pag. 2. addit Astenses nihil non faciunt, quo sibi exterorum hominum benevolentiam concilient.

† Raymond. p. 3. c. 13. Statuta Astens. L. 11. c. 60.

† c. de ratio sumendæ vindictæ

† Excussus Neapoli anno 1636.

Pag. 24. lin. 13. Nonne poteramus cum Sigonio, et aliis dicere: Astam, ex quo libertatem à Federico acceperat, pro Imperio fere semper contra Ecclesiam dimicasse?

Resp. Non equidem nisi aperte pro tuo more, Astenses nequiter insimulando. Oppositum enim legis, et in Sigonio, et in † Actis Alexandri, et apud †† Calchum, aliósque eius ætatis auctores. Astam, scilicet Civitatibus, contra Federicum, pro Alexandro Papa, fœdere iunctis, nominatim, et iuxta Calchum, primo loco, adhæsisse. Nullibi autem; eam pro Federico contra Ecclesiam, aut contra alium quemquam dimicasse. Neque hoc vel pro aliquo tempore, inferre potuisti; ex eo, quod Federicum tendentem contra Alexandriam, expugnationis metu, octavo die, ut idem Calchus ait, urbes exceperint. Cum uti videre est in Actis Alexandri, † ex ea versus Alexandriam proficiscentem

† Edita à Cantoloro.
†† Ad an. 1168. ad eund. ann. pag. 237.

† Relata etiam a Baron. an. 1176. n. 1.

Aenobarbum, nequaquam cum aliis ibidem recensitis, Astenses fuerint prosecuti. Et ✝ Sigonius affirmet, post ipsius Friderici ignominiosum ab Alexandrina obsidione recessum non nisi Papiensem, et Comensem ex Lombardiæ Civitatibus Federico adhæsisse. Et præterea ab eo in numero hostium habitos Astenses usque ad ipsum annum 1177. quo Venetiis Augusto mense inter Alexandrum, et Federicum pax inita fuit, certissimum faciant ista Venturæ verba.

ann. 1176.

titulo de Actis Longob.

MCLXXVII. VI. Februarii, Cives Astenses obsederunt ✝ Castagnolas: et ceperunt eodem anno; obsedit Rex Federicus civitatem Astensem. Quæ si legisset, præmissavé perpendisset, pius, atque eruditus vir, Io: Petrus Purixellus, nequaquam dixisset: ✝ Astensem Episcopum unum, (ut ante eum tradidit, qui aderat, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus,) é quatuor Episcopis electis, à civitatibus pro Alexandro foedere iunctis, ad eam pacem, earum nomine iciendam Venetias profectum, contra suos cives; tunc Friderici, et Antipapæ asseclas. Sed potius in commendationem fidei, et constantiæ ipsorum civium, eam electionem factam.

Basilica Ambrosiana num. 989.

Eadem Pag. 24. lin. 16. Nonne poteramus cum Ventura, Alferio, et aliis, enumerare stupra, adulteria, furta, direptiones, sacrilegia, homicidia, incendia, aliaque enormia facinora; quæ perpetrarunt Astenses bellis furentibus: quæ vel in vicinos, vel in sua viscera crudelissime gesserunt?

Resp. Qui auctores à te hic citatos leget, statim te pro iniquo criminatore habebit. Quandoquidem Alferius, vix aliquod ex bellis, cum exteris descripsit, et domestica nullo modo attigit: Ventura veró, ita præfatus ✝. Astenses ultimi fuerunt ad male faciendum facta sua: quorum actus scripti sunt in hoc libro: bella, sive ob factiones inter ipsosmet cives, sive alia de causa cum exteris ab illis gesta, ita enarrat, ut nil ex iis, quæ illis obiicis, deducere possis. Non inquam, aliqua stupra, non adulteria. etiamsi enim tribus ad summum locis, legas mulieres, ab adversæ partis viris abductas captivas, non tamen, vel levi verbo, eas violatas. Furta, et direptiones ex ipsa potius belli conditione coniiceres, quám apud illum legere licuit. Nullas omnino reperies ab eis patrata sacrilegia, nec aliud omnino, in cuiusquam Ecclesiæ contemptum, admissum.

titulo de divisione Lombardiæ.

Leges quidem occisos viros, sed in ipsis conflictibus: non autem extra eos: nisi forte privatim ab aliquo, privata de causa. Leges denique incensa quandoque castra, seu domos: sed ne hostis, vel adversa factio, cum victorum pernicie, illis potiretur: ex quibus liquet, te nil pensi habuisse, verum ne, an falsum offutires, dummodo Astensium famam denigrares.

Ead. Pag. 24. lin. 24. Nisi in quantum facit ad propositam materiam: videlicet ad brevem relationem situs, et status illius Urbis, et seriem Episcoporum.

Resp. Si hæc igitur authori Chronologicæ Historiæ proposita materia erat, adquid vitia maiorum Astensium commemoravit. et si hæc erant commemoranda cur non de omnibus, sed de solis Astensibus, et Montis Regalensibus hoc fecit? Insunt enim omnibus proprij nævi. Verum non eadem in cæteros, ac in hos livoris suberat causa. In Astenses quidem, uti accepimus, quod eorum civitas Saluciensi civitati renuat concedere. Qua in re persuasum habeo, neminem qui sapiat, ex ipsismet illius concivibus, cum eo sentire: sive ipsarum civitatum, sive ditionis alterutri annexæ ratio habeatur. Non inquam, si ipsarum civitatum: quippe quod norit prudens quisque, omnem comparationem esse odiosam. Multum verò minus ratione ditionis: cum constet, dominium, quod in Astensem ditionem consecuti sunt Sabaudi Principes, ab ipsa Astensi civitate fuisse anteà partum. Quod verò in Saluciensem, non quidem ab eadem civitate (utpote, quæ nec in quodpiam castrum ius aliquod unquam habuerit) sed ab illius Marchionibus. Unde merito conqueri possent, qui supersunt ex eadem Saluciensi familia; si quod majoribus suis ascribi debet, cives Salucienses sibi asciscere non vererentur. Ut sileatur longè ampliorem esse ditionem Astensem: in eaque prætereà Cevæ Marchionatum contineri.

Quam vero ob causam, in eadem sua Chronologica Historia, Montisregalensium itidem maiores, ignominia idem auctor notaverit illis verbis pag. 89. lin. 11. Viri feroces, ob perpetrata facinora, Marchionatu Saluciensi, Insubria, et Liguria proscripti, primi omnium civitatem illam incoluere. etiam si divinare non liceat, licebit tamen opinari: hunc ipsius in Montisregalenses livorem, ex iam concepto in Astenses odio profluxisse. Quod hos scilicet, non exiguam partem ortus illius novæ civitatis, sibi vendicare posse ex libro viridi, itemque Alferij (quos se vidisse non

semel significat) optime cognouerit. Nam primo, ut in iis habetur, totus ille tractus Astensis Ecclesiæ tum spirituali, tum temporali ditioni suberat. Deinde Montisregalenses suæ civitatis primam conditionem, Episcoporum Astensium pietati, et indulgentiæ acceptam referre debent +. cum namque sub finem duodecimi seculi tota fere Lombardia civilibus dissidiis conflagraret, plurimæque familiæ ex diversis vicinioribus civitatibus, ut civiles discordias mutuasque clades devitarent, veluti ex condito, in eum locum convenissent, ibique suas sedes figere decrevissent: Vicenses hoc illis prohibere totis viribus nitebantur: Unde eædem familiæ ad Astensem Episcopum confugerunt. Qui earum sortem miseratus, ab Vicensibus omnem molestiam illis inhibuit: et ut ibidem habitare casasque seu domos construere liceret, indulsit: exacto tamen, in Vicentium gratiam, iuramento, quod hoc nequaquam facerent in ipso monte. Subinde vero, ut proprium Commune constituerent concessit. Potestate tamen, seu Prætore, qui ei nomine Episcopi, ius diceret, attributo: diversis item legibus illis præscriptis: variisque initis cum eis pactis. Tertio, his ita obtentis, ac statutis, nouum Commune, ut etiam atque etiam res suas firmaret, +. anno 1204. ad Astense Commune decem Ambasciatores delegavit, ut ab isto Citadinaicum impetrarent: hacque ratione, Montisregalenses in Astenses cives fuerunt optati. In iis vero Ambasciatoribus erant Anselmus Dolius, Manfredus Gouonus, et Gulielmus Donzellus, Asta eo profecti, ut indicant ipsa cognomina. etenim, quod quarto loco est adiiciendum, ex iis familiis, quæ illuc commigrarunt, non minima pars erat ex Astensibus. eaque non tantum ex promiscua plebe, sed etiam ex honestioribus: ac nonnullæ quoque ex Patritiis, seu Magnatibus: uti tunc dicebantur: prout videre licet in eorum temporum publicis monimentis: quæ apud nos extant; In his namque ultra tres memoratas, nominatim recensentur Aliprandæ: è qua soror Catherina, cœnobii Sanctimonialium Iesu præcipua fundatrix, ac pro Beata habita. Beccaria: a qua contrata quædam Astæ, dicebatur illorum de Beccariis. De Bona; Bruna, Cerruta, de Dusiis, Falzona. e qua +. Vuillelmus anno 1176. erat unus ex consulibus Astensis civitatis. Et +. Ioannes anno 1199. cum Iutta uxore cessit monasterio S. Anastasij omnia bona, et iura, quæ eidem Iuttæ materna hæreditate

[Left margin, beside "referre debent +":] ...ria publ. ...um circa ...n. 1200.

[Left margin, beside "firmaret, +. anno 1204":] Nota pub. 8. Kal. Iun.

[Right margin, beside "Falzona. e qua +.":] +. Nota 15. Kal. Apl.

[Left margin, beside "Astensis civitatis":] Nota 10. Ianu. ind. 2.

obvenerant. Ferreria de Grassis, Malliana, Paruccias, de Ponte, Qualia, de Rossis, Vasca, et ut aliæ omittantur, Morixia, seu de Morotio. De qua primum occurrit Ioannes de Morotio, † anno 1178. Astensis Cathedralis Canonicus. Tum Vuillelmus, * qui anno 1181. tenebat in feudum ab Astensi Ecclesia partem Castri Forsicij. Cuius præterea fit mentio in documento publico, cuius initium hic reddere iuvat, in gratiam aliarum familiarum: et ut sciatur; qua ratione usque ad annum 1191. (quo † Asta Potestatem creare cœpit) ius in ea diceretur.

† Nota Ind. 11.
* Nota. Ind. 1.
† Alfer. in M[...] ad an. [...]

Anno 1181. Ind. XV. XVII. Kal. Decemb. Iacobus Bertramus, Giraldus de Fossato, Rolandus Borgognınus, maiores Consules Astensis civitatis. et Iacobus.... Du Roatha Consules Astensis Populi: et Vuillelmus de Lucerna, et Vuillelmus de Morotio, Rodulphus de Bor-iano, Iacobus de Meletto, Archerius de Cella, Tanquedus de Marciano, Iacobus Britius de Carmatorio, Rodulphus Vicecomes, Obertus Vicedominus, Ad cuius Curiæ mandatum, Anselmus de Gouono, et filii eius, stare iurauerunt, taliter definierunt, in lites renovata inter eos, et Episcopum Astensem &c.

De eodem etiam Vuillelmo legimus eum iniunxisse in suo testamento Manfredo et Ottoni Spatæ liberis suis, ut locum Morotij, quod etiam in feudum obtinebat, Astensi Ecclesiæ liberum remitterent. Quam piam mentem patris cum pii filii fuissent executi, de eodem Morotio fuerunt † anno 1198. investiti, sub fictu annuo duorum denariorum auri, siue solidorum decem. De eisdem verò Manfredo et Ottone eos partem suam, quam habebant in Vasco: † hoc est de Castro, et de Villa, et de pertinentiis donasse Astensi Ecclesiæ: et ab eadem anno 1182. sub eodem fictu fuisse item investitos. In Necrologio etiam vetustissimo Cathedralis fit mentio Martini de Morotio, non sine opinione sanctitatis defuncto, iis verbis. Idibus Novemb. obiit beatæ memoriæ Martinus Archipresbyter de Morotio. Anno præterea 1376. † Franciscus Morixius, Ioannis Malabaylæ Vicarius, à Capitulo huius Cathedralis substitutus fuit eidem Ioanni: qui cum huic Episcopatui renunciasset: †† ad sancti Ioannis Maurianensis sedem fuit translatus. De eiusdem porrò Francisci fratre, in Necrologio non adeò antiquo, hæc leguntur. III. Idus Novemb. hic fiat anniversarium pro egregio milite Domino Georgio Morixio, germano R. in Christo Patris D. Francisci Moritij Episcopi Astensis. †

† Nota ipsius an. Ind. 1.
† Nota an. 1182. 28. Apl.
† ex Archiv. Cap[...]
†
†† ex Arch. S. Io[...] Mauria.
†. † Docum. an. 1210. 16. Sept.

Quinto denique loco, Guidettus Episcopus eosdem novos incolas à præstito iuramento, de non habitando in monte, absolvit: ac ipsum Commune rursum confirmavit, novis item legibus præscriptis, novisque pactis initis circa ea, quæ erga Episcopum illis essent præstanda: et in primis reservata sibi iurisdictione per Potestatem ab Episcopo delecto, exercenda.

Videamus ergò num in hoc mendaces, confitemur errorem, et iure Astensis de illata suo nomini infamia conqueritur, sin à veritate non discessimus, quid nobis obstrepit? quid tot vanas querelas effundit? quid mordace lingua rodit nostram existimationem, qui Urbem illam, et illius Cives æternitati commendare conati sumus? audio obiicientem, non satisfacere laudem, quæ secum coniunctam habet vituperationem; et nobis antequam inflictum illi Civitati à Blondo, et Merula refricaremus ulcus illo dicente in sua Italia illustrata Asta civitas malo usuræ quæstu opulenta: Hoc verò Asta est ~~Civitas~~ Colonia malo usuræ quæstu, (ut Blondus ait) maloque modo quæsitis divitiis opulenta; habendam fuisse testium rationem, considerandas illorum qualitates, utrumque scilicet, præter quod alter alteri correlativus est, acerrimum nominis Astensis fuisse inimicum, eaque de causa fidem non mereri.

Eadem pag. 24. linea 26. <u>Videamus num in hoc (nempe Astam comparatis iniustiori lucro divitiis, suam contra vicinos libertatem tutatam esse) mendaces vel veraces haberi debeamus.</u>

Resp. Hoc iam videri potuit in Clypeo. Ibi namque monstratum est ex Alferio, anno 1226. primum cæpisse Astenses habere ultrà montes Casanas (ex quibus tu, cum auctore Chronologicæ Historiæ, illa iniusta lucra eos percepisse contendis) simulque ante eum annum, illos ea fortia facta præstitisse, quæ ibi recensentur. Quibus addendum: qualemcunque Astensium potentiam cumulasse beneficiarios Astensis Ecclesiæ: cuius ditio tùm ultrà centum castra seu Plebes, aut Cortes continebat. Concedente nimirum, ac etiam iubente Episcopo: quod suam rem agi intelligeret, cum Civitas ipsa arderet.

Addenda insuper civium frequentia. Quam in libello supplici porrecto Duci Aurelianensi nonaginta

millia mortalium tunc excesisse legimus. Siquidem +. anno 1379. +. Civitas Joanni Galeatio se tradiderat, reservato tamen Imperatoris beneplacito: Quod quidem Vencislaus concessit ++. sed iisdem omnino verbis, quibus Carolus IV. pater, eundem Galeatium constituerat vicarium Imperialem in eadem civitate. Nimirum: ipsum et suos hæredes, duraturos per tempora vitæ nostræ. Unde cum non posset Galeatius hanc Civitatem cum suo Comitatu unire Ducatui Mediolanensi, cessit illam Ludovico, Regis Galliarum fratri, et Duci Aurelianensi, pro dote Valentinæ filiæ: retentis tamen, contra pacta inita cum Civitate Castro Annonis, Masio, parte Feliciani aliisque locis, tam citra quam ultra Tanarum. Nec vero ambigendum, quin ab amissa libertate, non parum urbis frequentia ad annum 1396. quo porrectus fuerat libellus ille supplex, decrevisset; Unde merito feratur, eandem frequentiam anteà numerum centum millium incolarum excessisse.

+. Nota 26. Martii

++. Dat. Pragæ an. 1382. 8. id. Maij.

+. In il. statu... Civit. an. 1...

Adiicienda denique sunt lucra, quæ ex variis artibus civitas posita in regione soli ubertate, et castrorum frequentia nulli secunda, affatim percipiebat. Et nominatim ex variis textrinis. E quibus quæ lanificio inserviebant, uti asseritur in eadem supplicatione, octingentesimum excedebant numerum. Unde ibidem additum legitur, eiusdem Aurelianensis Ducis indultum: quo importantes in urbem sericum, gossipium, lanam, crummum, valdum, et alia quæque ad huiusmodi opificia pertinentia, a solutione gabellarum, et aliorum onerum per triennium eximebantur. Potiori tamen loco reponendæ divitiæ mercatura comparatæ. Cui addictos fuisse ipsosmet nobiles Friderici I. privilegio, +. quo istis concessit, ut sine nobilitatis præiudicio, exercere possent mercimonia pannorum, et artem cambiatoriam, ut loquitur privilegium, et Notariam, etiam nunc apertissime probant unci, annullique ferrei parietibus antiquarum domorum, nec non palatiorum, infixi: et in eisdem frequentes portulæ cellularum, ad recondendas merces. In cuius mercaturæ gratiam, icto cum +. Genuensibus fœdere, in eorum portubus ultra mare non secus ac illi, negotiari eis licebat. Cum viceversa certum numerum equitum cataphractorum, et peditum, qui in triremibus etiam pro eis militarent, Astenses Genuensibus suppeditarent. Ad id autem utebantur vicinitate Savonensis portus: é quo transmarinas merces in urbem aduchi curabant: Eas, vel in duabus suis celebribus annuis nundinis

+. Dat. Taur. 1186.

+

+. Variæ Notæ in L. Alfer. De Act. Civit.

+.

distracturi: vel mulis impositas, in Germaniam, et in Gallias, aliis commutandas, transmissuri.

Quantum vero longe vetustioribus aetatibus eidem mercaturae debiti essent Astenses, satis accurate describitur in diplomate Conradi I. sequentis tenoris.

Conradus, &c. Astensis civitatis civibus, qui per Vallem Secusiae, et per omnes Valles: et per omnia montana: et per vias asperas et plateas, et per transitus aquarum, et per angiportus paludum totius Regni, ac Imperij, vitae praesentis solent conquirere subsidium, liberos concedimus aditus et reditus: firmiter praecipientes: ut nullus Dux, Episcopus, Marchio, Comes, &c. aliquam molestiam eis facere tentet: aut ab eis aliquid exigere praesumat, praeter tolonea statuta; quae caeteri mercatores iure legali hactenus solvebant. Datum ad Lacum Gardensem XIV. Kal. Iulij anno Incarnationis 1037. hoc est ducentis ferè annis, antequam Astenses Casanas habere coeperint.

Quoniam verò re ipsa, et suo malo didicerent plus periculi, quam praesidij in opibus esse; ubi urbs ipsa hostium invasioni obnoxia maneret, cum per + Tabularum pacis Constantiae ista verba. Urbs muris cingere, et exteriores munitiones construere eis liceat sublatum fuit interdictum moenia, et aedificia quaeque in Regni Urbibus, (praeter turres nobilium) calce construendi; Astenses statim Urbem ipsam + moenibus cinxerunt, inclusa in iis Ecclesia S. Secundi; in cuius speciali protectione res ipsa docebat, huius civitatis praecipuum munimen esse collocandum. Deinde etiam, et acropolim, et suburbiorum muros adiecere.

Additio. ad Authent. Collationes.

+ Alterius in Memor. an 1190.

His igitur rationibus, et ampliata ditione, et comparatis opibus, et urbe ipsa munita, facilius etiam potuerunt Astenses, et suam libertatem contra vicinos Principes, aliave communia tueri; et nova loca adipisci: et Reges, ac Imperatores demereri: et alia huiusmodi à te enumerata praestare. Facile item plures, ex ipsius nobilibus familiis, extrà Astensem ditionem tot castra comparare, sine lucris, quae quidam ex eisdem civibus, in Casanis ultrà montes percipiebant.

Quid verò dices; quoquè te vertes, si cogamus te fateri, adeò huiusmodi lucra nullo praesidio fuisse huic Civitati, in praemissis: ut etiam illi aperto

fuerint detrimento? ipsismet civibus scilicet, et res, et personas a reipublicæ commodo subtrahentibus? Nonne tu ipse fassus es pag. 21. te legisse Librum Alferii, in quo publicas scripturas huius civitatis idem compilavit? In eo igitur quot castra legisti eo tempore, Astenses ultra Tanarum præter Villas veteres (hoc est antiqui districtus) possedisse? Nonne circiter quinquaginta? Ea verò quo tempore Astenses suæ ditioni adiecerunt? Omnia certè ante dictum annum 1226. præter Rochetam, anno 1229. et Marcelengum, anno 1232. comparata. Hoc est illam tertio, istud sexto dumtaxat ab illo anno, quo primum Casanas habere cœperunt. Posteà verò numquid aliquem alium locum ab hoc communi, acquisitum ibi legisti? Nullum dicere te coget ipsamet annorum designatio; Si ergo hæc ex ipso Libro tibi comperta erant, quomodo non te pudet, Astensis civitatis potentiam iis lucris comparatam asserere, quæ illa iam in summo qualiscumque potentiæ constituta, ac potiùs declinare incipiente, non quidem ipsi Communi, sed privatis quibusdam civibus, alibi commorantibus obuenere?

Indagemus igitur causas tantorum odiorum, quibus perspectis, videbimus, num Scriptores illos antecesserint alii, qui eiusdem criminis Astenses arguerunt. Affirmat Auctor Clypei Blondum, qui civitate Veneta donatus erat, hanc Astensi nomini inussisse calumniam, quod prœliantibus contra Venetos Genuensibus auxiliares copias suppeditassent. Merulam verò Alexandrinum, ut æmulæ Astensium patriæ complaceret, huic imposturæ fuisse suffragatum. ideoque tanquam hostibus fidem habendam non esse. Admittimus circa annum 1280. et paulo post teste Iustiniano, Astenses cum excommunicati~~s~~ a Bonifacio 8. Genuensibus contra Venetos habuisse societatem, et Astam cum Alexandria cum utraque rerum publicarum more regeretur causa confinium sæpius contendisse, sed quemadmodum compositis non semel inter se dissidiis, et Genuenses cum Venetis, et Astenses cum Alexandrinis ad concordiam redierunt.

Pag. 25. lin. 24. Teste Iustiniano, Astenses cum excommunicatis à Bonifacio VIII. Genuensibus, contra Venetos habuisse societatem.

...19. Iust.
...1300.

Resp. Qui leget + Iustinianum pro falso teste te-habebit. Non enim a Bonifacio excommunicatos Genuenses, sed interdicto dumtaxat intelliget suppositos: ac proinde potuisse Astenses, sine noxa, veterem cum Genuensibus tueri amicitiam. Atqui tu, dum utrosque inimico dente ita rodis; tuam non tantum malam fidem, sed etiam insitiam manifestam facis + Neque enim excommunicari potest, aut debet quævis universitas!

...Romanæ
...6. §. Universis
...de Sent. excom.

Quis credendum existimet, quod aut Blondus Ecclesiæ Romanæ subditus, multis annis post compositam pacem natus, cum iam Asta in potestatem Ducum Aurelianensium devenerat, aut Merula cuius patria Ducum Mediolanensium imperio subiacebat, non exiguo suæ conscientiæ detrimento, extinctis famæ candorem denigrare voluerint? nec scriptorum illorum malitiæ tribuendum videtur, quod eandem usuræ notam Senensibus, Florentinis, et Lucensibus non impresserint, quos una cum Astensibus ejusdem vitijs reos. Io. Andreas infamavit in Sommario Constitutionis Bonifacij 8. qui incipit Usurarum voraginem, tit. de Usuris lib. 6. Cum enim Merula solam Montisferrati Provinciam, et loca contermina describat, quid mirum, si de Thusciæ populis nullam fecit mentionem? et Blondus hoc encomio potius Astenses, quam alias nationes decoravit, quod Astensium fœneratorum multitudo, aliorum populorum numerum longè superaret, cum non pauci, ut auctor Clypei persuadere conatur, sed universa pene Civitas hujus vitij morbo laboraret, quæ res præfatum Bonifacium Papam, et Episcopum Guidonem à Valpergia compulit, et Constitutiones, et Edicta severissima contra usurarios publicare, ut illæ pauperum sanguisugæ tollerentur. Non paucos privatos, sed maximam Civitatis partem usuris invigilasse fatetur Alferius, dum ait: Itaque anno 1226. mercimonijs emendis, vendendisque se debere, tabernasque nummularias, quæ tunc Casanæ dicebantur in Gallia, et in Germania habere cœperunt.

Pag. 26. lin. 21. Universa pene Civitas hujus vitij morbo laboraret.

...tulus capitis.

Resp. Unde hoc tibi constat? Nequaquam enim hoc probare poteris illis Alferij verbis + Quando Astenses cœperint primo exercere usuras. Quandoquidem usura per se non iniustum lucrum, ut tu putas, sed qualecumque commodum, ex usu cuiusvis rei perceptum

significat. Unde ipsummet vivere huius ~~lucis~~ lucis usuras dicitur. Et Bonifacius 8. sua illa Constit. usuras immoderatas duntaxat damnat. Et in hoc sensu hanc vocem se usurpasse monstrat Alferius; dum subdit: Anno 1226. Astenses coeperunt tenere casanas, in ultramontanis partibus: indeque multam pecuniam lucrati sunt. Constat enim, casanas tunc dictas trapezitarum domos: in quibus pecuniae exponebantur. Quod quidem aequè, iustè, ac iniustè fieri potest.

+. c. usurar. voraginem. in 6°. In margine eiusd. Const.

Neque etiam id deduci potest ex +. Constitutione Bonifacij 8. a te tacita: nec ex Io. Andreae Glossa. Cum utrobique (ut dicitur in Clypeo) de iis tantum agatur, qui vagabantur per diversas provincias. Neque tertio, ex Guidonis Astensis Episcopi contra usurarios edicto. Nam ut ibidem dicitur, à Metropolitano Mediolanensi istud emanarat. ex quo benè infertur: fuisse hoc vitium illius temporis: ac toti provinciae commune. Unde auctor Chron. Histor. idem quod Astensibus palam, Taurinensibus tacitè obiicit, in Taurinensi Episcopo Guidone item dicto, illis verbis pag. 67. lin. 20. Cum esset acerrimus usurariorum inimicus, ex restitutione usurarum, et multis ab usurariis exactis, hospitale in oppido Pinerolij fundavit, ac dotavit: fundavit etiam, ac dotavit in sua Cathedrali, Capellam S. Michaelis, et Canonicis eiusdem Ecclesiae annuam pensionem decem aureorum reliquit.

Non denique, ut omittamus Blundi, et Merulae iam reprobatum in Clypeo testimonium, hoc probare poteris verbis à te allatis, ex Baldo et Cino, agentibus de Codicibus Zordanarum. Imo oppositum apparebit, ubi explorata habebitur causa ob quam apud Astenses, usurarij Zordani vocitabantur. In cuius rei gratiam primò sciendum; non tantum apud Astenses, ut in

+. In Macharonea, et alibi pluries.

+. Georgio Alione videre licet, sed et in Pedemontio, aliisque vicinioribus locis, giordanos dici consuevisse, homines socordes, et inertes. Tum apud eosdem Astenses

+

eo tempore, (velut etiam nunc in una plebe, et apud rurales) literam Z. pro litera I. consonante, vel pro Gl. usuuenisse: ac proinde quos giordanos in Pedemontio, alibive dicunt, hos Astenses Zordanos tum appellabant. Nam cum eo tempore, cives Astenses universim, ad honestas facultates comparandas, terra marique (uti testatur Conradi I. diploma) seu in officiis, ac textrinis immensos labores, industrij, ac indefessi perpetuo exantlarent, usurarij verò è

+.

contra domi sedentes, nec alio labore, aliave

industria, quam pecuniam enumerando, cum alieno damno, et propria ignominia damnata lucra perciperent, per-spretum vulgo Zordani audiebant. Et ea propter ipsorum Codicilli propriæ censuræ erant obnoxii. Unde hæc vox Zordani, non de universa civitate uti tu comminisceris, sed de minima, ac abiectissima eius parte erat accipienda.

Erant Casanæ Telonia, in quibus mutuæ pecuniæ dabantur, traditis primum pignoribus, sed lucro non minore quam quod inter Christianos ab Hæbreis accipi solet. Quamobrem cum Astenses non in præcipuis tantum Pedemontij, et Sabaudiæ Locis, verum etiam in Galliis, Germania, Belgia, Lotharingia, et Burgundia eiusmodi Casanas haberent, a Summis Pontificibus excommunicationum fulmine sæpius percussi, et a Principibus Sæcularibus gravissimis mulctis affecti fuisse leguntur. Denique ut pateat quam invalida, et friuola sint, quæ ad impugnandam Blondi, et Merulæ fidem ab adversario obijciuntur, videamus utrum ante præfatos auctores aliquis Astenses tanquam lucri cupidos condemnaverit. Constitutio Bonifacij 8. supra citata circa annum 1300. promulgata fuit, et eius Summarium, quod de Astensibus velut usurarijs mentionem facit, factum fuit a Joanne Andrea dicto Bononia, qui vixit anno 1330. hic vero circa annum 1378. omnes multis annis ante Blondum, et Merulam in scriptis suis apertissime Astenses velut foeneratores, et Usurarios reprobarunt. Baldus enim in l. cum oportet. C. de bonis quæ lib. n. 6. sic ait: Modo quæro quid si ex pecunia concessa filiofam. per patrem filius perceperit usuras, nunquid acquirit istas usuras, quas exigit patri. Item quid de nominibus debitorum, et de codicibus Zordaneorum, ita enim appellant Astenses, quos Cynus reputat hic omnes usurarios ita per locum à Communiter contingentibus, et idem dicit de Senensibus forte suo tempore, hodie non est ita.

Hæc itaque veritas si à tot testibus fide dignis Blondo, et Merula antiquioribus confirmetur, cur eam negat Clypei auctor? Cur Blondo, et Merulæ velut mordacibus, et malignis calumniatur? Cur si Ludouico ab Ecclesia in suis Historiis Pedemontij anno 1608. Taurini impressis dicente: <u>Gli Asteggiani per la gran mercantia, commercij, cambij, et usure arrichiti, et fatti potenti in maniera che possedevano più di cento vinti Castelli da Corrado Imperatore simil privilegio</u> (cudendæ scilicet monetæ) <u>ottennero</u>, nihil conquestus est: cur inquam nunc tam graviter tumultuatur? Cur usque adeo nobis succenset, qui verbis, et terminis longè modestioribus scripsimus. Comparatis iniustiori

lucro divitiis, &c. et haec ad refellendam quintam obiectionem sufficiant. Nec operaepretium iudicamus nunc examinare utrum Astam, vel aliam Urbem intellexerit Claudianus Gothorum stragem describens, nec enim hoc factum adeo clarum est, ut contradictores invenire non possit.

Pag. 28. lin. 24. Cur Ludovico ab Ecclesia dicente, Gli Astegiani per le grandi mercantie, commertii, Cambii, et usure arrichiti, da Conrado Imperatore simil privilegio (signandae scilicet pecuniae) ottennero: nihil conquestus est?

Resp. Quia contra tela ab auctore Chron. Hist. in Astenses intorta, conflatus Clypeus fuit: non contra Ludovicum. Qui adeo Astensibus infensum se praebet, ut iusta Apologia opus esset ad ea confutanda, quae praeter veritatem in eos scripsit. Quale nominatim est hoc, quod ex illo nunc tu affers. Nam illud privilegium, Conradus concesserat anno 1140. hoc est octoginta et sex annis antequam Astenses incaepissent habere casanas. Tale est etiam quod dicit †. pag. 236. lin. 20. de Stephano illo, qui expugnata Carmagnoliae arce, iussu Marchionis Vastii, fuit in ea suspensus. Nimirum fuisse eum ex familia Malabayla, Astensi: cum testimonio †. Historicorum eius aetatis, esset ille Stephanus ex familia Baylorum Mutinentium. Talia etiam sunt quae a te alibi allata, à nobis suis locis confutantur. Caetera enim non est huius loci persequi.

† Hist. [illegible] an. 1537.

† Paulus Iovius.

Telum VI. eadem pag. lin. 14. Potuitque, comparatis iniustiori lucro divitiis, suam contra vicinos Principes, tueri libertatem.

Non satis igitur Auctori erat, Astensibus, ab eorum aemulis conficta vitia, obiicere; nisi etiam ab eis praeclarè gesta, aliquo afficto probro, deturparet? In quo certè eo gravius peccatum fuit, quod non tam ex nostratibus, quam ex aliis illorum temporum historicis, perspectum sit, longè excellentius ante quam post caeptas haberi ab Astensibus Casanas, ipsam civitatem contra vicinos Principes, suam libertatem tutatam fuisse. Inter quos cum constet ea aetate, potentiores extitisse Montisferrati et Salutiarum Marchiones, satis erit de eorum singulis, singula exempla proferre. Iuvat autem de Salutiensi prius agere: et Gaffredi, ab Ecclesia, ex auctoris ipsius maioribus, et ab ipsomet auctore non semel citati eisdemque Marchionibus a Secretis, ex publicis tabulis accepta, hic reddere verba. Nell' anno 1228. alli 6. di Giugno nella Città d'Asti, il Marchese Manfredo giura, e promette a meser Percivalio Doria Podestà della Città; attendere, et osservare tutti li patti, e conventioni, che si contengono nella pace;

† In Chron. Salutien. Idem tradit Boterius in Thoma.

e concordia già più giorni fatte trà esso Marchese, e M. Pagano, di Pietra Santa allora Podestà d'Asti. E come si contiene nell'Instrumento dell'1224. li 14. Giugno. hoc est biennio antequam Casanas habere inciperent Astenses. et oltre questo fece la fedeltà a detta Communità: come si contiene in esso instrumento. Poi promette di far guerra a tutti gl'inimici di detta Communità, e chi tienne da essi, ognivolta che ne sarà richiesto.

In cod. Thom: Quoad Montisferrati Marchiones iidem †. Gaffredus, ac †. Boterus, et alii tradunt, sub finem Seculi, quod tunc praecesserat, Bonifacium Marchionem ab Astensibus bello decem et octo annorum ita fatigatum, ut cum illo sustinendo, nec vires, nec animus iam superesset †. Gulielmus filius dicti Bonifacij (ut verbis Augerii Alferii utar) venit in Ast. sine fiducia, cum uno Scutifero: Unde et intravit in Consilium Communis Astae, et posuit se ad voluntatem, et naturam Communis Ast. Et tunc facta fuit ultima pax anno Domini 1206. De qua guerra, Commune Ast lucratum fuit Lauretum et Comitatum Castagnolarum, cum pertinentiis, quae erant Marchionis Montisferrati, pro dono et facto per Marchionem Laureti. †. In cod. chron. ad an. 1191. et 1206.

In Memor.

Non igitur divitiis iniustiori lucro, ex auctoris iitius sententia, comparatis, eam potentiam haec civitas consecuta fuerat, sed suamet amplitudine, et frequentia, reique militaris studio, de quo †. Alferius, Civitas Astensis potest facere in civitate, et Burgis cohaerentibus civitati, militias seacentum, de duobus equis, et in suis villis, militias centum sexaginta de uno equo vel equa. Cam porro amplitudinem, et frequentiam illi attulerat situs ipse urbis, circumstanti regioni, adeo opportunus, ut ex ducentis fermè locis, eodem die ad eam accedere, adque propria redire, illorum incolae possint. Sed multo magis civium ipsius decantata fidelitas, ac humanitas: nec non et animi moderatio, quibus vicinorum locorum Dominos, ipsaque loca, ita allexerat, ut posquam †. ab Henrico V. impetrasset facultatem, sub sua ditione retinendi non tantum illas 47. castra, in suo Districtu consistentia, quae Fridericus pater illi confirmarat, sed quaecumque alia loca, quae illi se se dedere vellent: vel iusto titulo ipsa acquisivisset; statim in immensum Astensis ditio succreverit.

In eod. Mem.

Diplom. dat. 2. Cal. Iunij 1194.

Primum namque †. plurimi regni Italici beneficiarii, se, suaque feuda, ut civium commodis potirentur, illi subiecere. Ex quibus feudis adhuc 44. sub ea numerantur, caeteris inter civilia bella, a vicinis Principibus occupatis: dedentibus scilicet ea, Forentibus (ita enim civium

Ex L. Actor. Asten. S. Alferio congestor. et aliis Monum. publ.

pars, ab adversa factione extorris facta, vocitabatur) quorum præsidio in Urbem redire possent. Tredecim etiam nobilia oppida, quæ eisdem, quibus civitates liberæ, iuribus potiebantur, et in iis Clarascum, Braida, Villanova, Castrum nouum Astense, ipsius Capitanatui se subdiderunt. Marchiones item Sauonæ, cum cætera Carectorum Illustrissima familia, in cives asciti, de suis locis adhærentiam illi fecerunt. Quod etiam præstiterunt Scarampi, Astæ antiqui ciues, de Locis ultra Tanarum acquisitis: quæ deinde loca, cum prædictis Carectorum numero triginta quinque Carolus V. ab Astensi Comitatu seiunxit, cum hunc Sabaudo donauit. Idem etiam fecerant Marchiones Cevæ: e quibus deinde † Nanus ipsam Ceuam, cum 28. eiusdem Marchionatus castris, pretio centum millium librarum aureorum Asten. vendidit eidem civitati: à qua de eisdem locis pro se, et duobus filiis, ac successoribus, postea investitus fuit. Incolæ etiam Montisregalis Citadinaicum ab ea impetrarunt: et pacis, ac belli conditiones pro ea subire pacti sunt. Nonnulli etiam ex aliis potentioribus familiis, ut in cives Astenses cooptarentur, domicilium in ea delegerunt. E quibus fuit Manuel de Blandrata † (a quo summam ripam de Bosco obtinuerat) et nonnulli ex Comitibus de Cocconato. E quibus Bonifacius, et Conradus Astenses episcopi: et † Humbertus filius Alerami Domini Montisalti de Astesio, ex Archidiacono huius Cathedralis, Cardinalis S. Eustachij creatus prodiit, plura itidem loca armis, ac pecuniis acquisita: plura item ab Astensibus episcopis in feudum illi concessa. Papiensibus perpetuo foedere iuncta fuit: itemque Genuensibus, † qui ad illud firmius tuendum, Gauio oppido Astenses donarant.

† Baldus Cons. 438. Brunus Con. 68.

† Docum. pub. an. 1206.

† Gull. Ventur. an. 1250.

† Breu. Cathe. Ughellus, et alij.

† Acta Asten. ap. Alfer. [...]

Nil mirum igitur si tot accessionibus, ac præsidiis aucta firmataque hæc civitas, facile potuit libertatem suam tueri, non tantum contra vicinos Principes, sed etiam contra alias civitates, et Mediolanensem præcipue † Quæ aliquando, adiunctis sibi aliis viginti duobus municipiis, seu uti dicebantur, Communibus, ut Astam subigeret, illius agrum incursauit. Sed repulsa ad remotiora Astensis ditionis loca, irrito etiam conatu, arma convertit. Pari etiam fortitudine bellis a Carolo Provinciæ Comite, et Siciliæ Rege illatis, est perfuncta. Cum † hic namque Montemregalem cum tota regione ultra Tanarum, et Sturiam sita, et ad Astensis Ecclesiæ ditionem tunc spectante occupasset; et loca ad ipsam civitatem pertinentia infestare cœpisset: et inter hæc pactæ fuissent induciæ: Caroli exercitus iis violatis, Astenses nil tale timentes, et in depopulatione Cauanensis agri dispersos, adortus, facile in fugam convertit. Sed magno ei ista perfidia stetit. Siquidem intra quinque dies, tum ex suis, tum ex auxiliariis Papiensibus, et Cairensibus, refecto exercitu, in fœdifragos hostes tanto

† Gull. Ventur. 1271. Chron.

Salut. Iaffred. Corius Calch. an. 1230.

† Gul. Ventur. [...] Iaffred. et Bo[...] in Thoma[...]

animi ardore, se intulerant, ut Philippus de Gonizza, Prouincialium Senescalcus, grauiter saucius, (Ferranio de S. Amaneto Regniolarum Senescalco, cum maxima exercitus parte desiderato: ac nobiliori quoque captiuo relicto) in Prouinciam se receperit. Quapropter Monsregalis, Sauilianum, Clarascum, Cuneum, ad Astensium partes, spreto Carolo, rediere. Idemque fecere Alexandrini Astentium adacti armis; quibus ea tempestate, non erat, qui resistere posset: quemadmodum affirmat cum Ventura idemmet Iaffredus ab Ecclesia. + Qui præterea fusé narrat, Thomam Salutiarum Marchionem suo malo edoctum, longé magis fidam, tutam, ac proficuam sibi fuisse Astensium quam Caroli amicitiam; huius promissis, minisque post habitis, ad priora foedera cum Astensibus rediisse; ab ipsisque Revellum, Caramaniam, aliaque loca obtinuisse.

+ ...ub eod. an. ...ecitatis Caroli ...epist.

Ad Cap. VI.

Auctor Aduersarij Clypei nobiscum fatetur Ciuitatem Astensem non exigua pecunia sic concedente Federico Imperatore regalibus fuisse potitam, illiusque primates tum propter angustias territorij, tum propter occupata maiori ex parte per Ecclesiam Vrbis Castella mercaturam, alias cum nobilitate incompatibilem licitam arbitrantes, operibus profiteri fuisse coactos, et hoc ne viri genere clari, intolerabili paupertatis cruciatu nihil durius in se continente, quam quod ridiculos homines facit, cum infamiæ nota e suo gradu decidere cernerentur, ideoque nummularias tabernas aperuisse, non in hac regione tantum, verum etiam in Gallia, et Germania; nihilominus iam sopitos ignes suscitans, et Argiuas innouans calumnias, de nobis conqueritur, quia scripsimus pag. 160. lin. 9. Potuitque comparatis industriæ lucro diuitiis suam aduersus vicinos Principes tueri libertatem. Quis ignorat validissimum Reipublicæ neruum esse pecuniam? Sic adducta Vlpiani, Mutiani, Leonis Imp. Iustiniani Cæsaris aliorumque multorum auctoritate testatur Petrus Gregorius suæ Reipublicæ lib. 3. cap. 1. n. 1. Huius adminiculo, et priuata, et publica Ciuitatum, Prouinciarum, Regnorum, et Imperiorum negotia administrantur vtroque tempore pacis, et belli pecunia vires unit, et munit, eas quo vult impellit. Arces fabricatur; ijs necessaria suppeditat, hostium enervat furorem, potentiorum conciliat amicitias, vel ex remotissimis partibus milites accersit, et arma, et necessarios exercitui commeatus parat. Munitissimas arces expugnat. Notum est Philippi Macedonis Apophtegma, qui cum arcem quandam valdé munitam capere destinasset, atque exploratores retulissent prorsus esse

//

difficile. Percontatus est num Asinus auro onustus posset accedere, innuere volens: Nihil esse tam munitum quod auro non expugnetur.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. Ait Horatius lib. 3. ode 16.

Auro corrumpuntur Duces, et ipsi arcium Gubernatores, hostiles copiæ dissipantur, necessarij in bellis foventur exploratores. Denique ipsemet exercituum Princeps Deus pecuniis, vel ut melius dicam, elemosynis victus exercitibus victoriam rebus nostris felicitatem concedit. Itaque cum Civitas Astensis immensam illam pecuniam neque ex agris, neque ex vectigalibus colligere posset, nam et angustum erat territorium, et adiacentia Civitati Castella, vel privatis Dominis, vel Ecclesiæ (ut adversarius fatetur) subiacebant: Qua ratione necessitatibus Imperatorum ad aucupandam illorum benevolentiam potuisset opitulari? Quomodo libertatem a Federico vel ut ait Regalia comparare? Quibus pecuniis pro centies mille aureis Marchionatus Cevensis partem a Marchione Nano mercari? Tot Castella, tot Villas in suam potestatem redigere? Sané non aliis opibus, nisi quas partim ipsa Civitas, partim ipsi nobiles per Pedemontium totum, Liguriam, et Montemferratum vix 160. annorum spatio congregarant, eorumque pretium tantum fuisse testantur contractus, quos ipsi vidimus, ut incredibilem thesaurum conficerent. Quibus artibus graue bellorum onus sustinere potuisset ea Civitas, quæ dilatandi dominij impulsa desiderio cum Marchionibus Salutiarum, Montisferrati, Sauonæ, Buschæ, cum Comitibus Sabaudiæ, Blandratæ, cum Mediolano, Papia, Alexandria, Alba, Cherio, denique cum Comitibus Provinciæ, Regibus Neapolitanis, eo tempore Dominis Albæ, Sauiliani, Cunei, Montisregalis, et Clarasci, nullo vel exiguo iure tot annorum spatio gessisse narratur? nisi opulentissimi Cives comparatum in Casanis et thelonijs aurum (quemadmodum et hodie à Genuensibus factitari solet) in publicas Urbis suæ necessitates profusé contulissent.

Obiecta Capite VI. Illustrationis

7 Pag. 31. lin. 4. Nisi comparatum in Casanis et telonijs aurum, quemadmodum et hodie a Genuensibus factitari solet, &c.

Resp. Adeo ne Astensium antiqua felicitas animum tibi exulcerauit, ut ficti criminis sanie illorum vicinos, et olim fœderatos non verearis aspergere? Nec intelligis, te, dum dicis, lucrum, quod ex casanis tum percipiebant Astenses, idem fuisse cum eo, quod hodie usuuenit apud Genuenses, nisi illud pro legitimo habendum, ac proinde

hoc crimine absolvendos esse Astenses fatearis, te impudenter civitatem tot titulis, et pietatis in primis illustrem, profligatæ conscientiæ; tot ipsius Confessarios, temeritatis; tot doctores, qui pro iusto illud habent, ignorantiæ, ipsammet ecclesiam denique illud tolerantem, inique conniuentiæ condemnare?

Affirmat Astensis auctore Alferio, Astam in illo suarum fœlicitatum, et potentiæ fastigio facere potuisse in Civitate, et Burgis cohærentibus Civitati militias sexcentum de duobus equis, et in suis Villis militias centum sexaginta de uno equo, vel equis: concedatur: sed quod egregium facinus aggredi; quam expeditionem moliri, quam victoriam poterant reportare stipendiarij militis robore destituti? Nonne videmus ipsi quid præstare possint Serenissimi nostri Principes, non Astensis dominij tantum, sed et totius Pedemontij, et Sabaudiæ Imperio potentes? Nonne quotidie experimur; quod licet Pedemontium incolatum virtute bellica, et numero cum qualibet alia Europæ Provincia conferri possit, tamen nec bella in longum protrahi, nec expeditiones illæ ad bonum exitum perduci possunt, nisi stipendiarius miles accedat, multumque pecuniæ consumatur? ut ostendat Astenses non comparatis iniusto fœnere divitiis post annum 1226. sed militari virtute suam ab inimicis vindicasse Civitatem, sed etiam eos offendisse, domitos suis armis Salutiarum, et Montisferrati Marchiones gloriantur illum ad confirmanda fœdera jam prius stabilita necessitate coactum, hunc vero ad tradendum velut obsidem filium suum Guillielmum, ut nimirum arbitri ad componendas inter eosdem discordias eligerentur, sed consulto silentio præterit belli illius originem, et rubore perfusus dicere non audet, bellum illud non aliunde natum fuisse, quam ex protectione quam duo illi Marchiones susceperunt. Thomam enim pupillum Umberti Sabaudiæ Comitis Bonifacius Marchio Montisferrati contra graves Astensium insultus tutabatur. Silet paucis annis ante formatam pacem suos ab iisdem Marchionibus gravi clade percussos fuisse, captis in eo prælio 2000. militum. Tacet ipsos ab eodem Marchione, licet invito, et per vim nonnullas pecunias accipere coacto extorsisse Comitatum Laureti, quem a Marchione Lancia dono acceperat. Quas illius Ecclesiæ Vassallis intulere violentias, et eos sibi subijcerent, ne quidem per somnium meminit. De gemina clade ab Alexandrinis, et Vercellensibus anno 1225. sibi illata, de desideratis in utroque conflictu suis concivibus non paucis, nullam omnino facit mentionem. Ab Episcopo

Jacobo interdictos, velut Castellorum Ecclesiae occupatores, eademque de causa sub annum 1220. excommunicatos, nec non Ecclesiae sacramentis priuatos extitisse, confiteri erubescit. Quod aiunt iniquo, et temerario Taurinensi Episcopo Castellum Montisosolij eripere tentaverint, Testonam iuxta Montemcalerium in eiusdem Antistitis odium plane destruxerint, silentij nubes penitus inuoluit. Referre quod Taurinensibus a legitimo suo Domino Thoma a Sabaudia Comite Maurianae deficiendi, fuerint auctores, eumq; (ut alibi dictum est) in foedo, ac indigno carcere multos annos habuerint rubore suffunditur. Gesta bella cum Rege Carolo Andegauensi, qui et illius Civitatis dominium affectabat, seq; cum illo diu marte ancipiti decertasse confitetur. Verum quod superato Corradino quatuordecim millibus florenorum aureorum ab eodem Carolo triennales inducias licet inuiti compararint, pudet confiteri. Tribuit spontaneae electioni vim illatam Comitibus Blandratae, Marchionibus Carreti, aliisque non nullis nobilibus, qui suis privati Castellis violento Astensium iugo patientem cervicem accomodare, et ingratum in ea Urbe domicilium deligere, quam, (ut Astenses se facturos minitabantur) omnibus spoliari, maluerunt. Negat quod auro suam tutati sint libertatem, verum quod pretio bis mille marcharum argenti bis annis videlicet 1214. et 1220. ab Imperatore Federico Castellinovi, et regalium quae Astae habebant confirmationem impetrarint. Quod ultimo bello adversus Carolum Regem vix quinque annorum spatio octingenta millia librarum impenderint (ut scribit Alferius) quarum 35. millibus redempti sunt captiui negare non potest.

Pag. 32. lin. 3. Rubore perfusus dicere non audet, bellum illud non aliunde natum fuisse, quam ex protectione, quam duo illi Marchiones susceperant. Thomam enim Sabaudiae Comitem Bonifacius Marchio, contra graves Astensium insultus tutabatur

Resp. An et qui oderant, ipsi sibi somnia fingunt? Neque enim alium auctorem, quam +. tui Ludovici in Astenses odium habet, quod ex eo hic refers, de illato bello utrique Marchioni, quod Sabaudum pupillum contra Astensium insultus tutarentur. Nam nulla adhuc eo seculo inter Sabaudum, et Astenses, dissidia, dissidiorumve causae intercesserant. et Sabaudus, quo tempore coeptum fuit hoc bellum iuxta +. Sabaudos Historicos biennalis tutelae excesserant terminum: suberantque inter eum, et Ferratensem, simultates, quae paulo post in apertas inimicitias eruperunt: quod hic ex iuribus Sabaudi, aliqua sibi tribuisset. Inter bellum item Ferratense, et Saluciense cum Astensibus, circiter viginti decurrerunt anni. Num vero Astenses, Ferratensi bellum primi intulerint, uti somniauit Ludovicus tuus, an Ferratensis Astensibus, cognosci potest,

+. l. 1. pag. 86 in fine

+. Pingon. Bot. in Thom.

7

4.

suo Memoriali. ex Alferii istis verbis ✝. Anno 1191 die decima nona Junij, Commune Astense equitauit apud Montilium, causa recuperandi iura feudi, quæ habebat in Montilio (à Ferratensi nimirum occupata) et ibi fuit prælium inter Astenses, et Bonifacium Marchionem Montisferrati. Astenses terga verterunt: et capti fuerunt ex illis circiter duo millia. Ista guerra durauit circa annos tredecim; modo faciendo pacem; modo faciendo treguas: modo faciendo guerram. Et nullam pacem seu treguam Bonifacius, et filius eius Gullielmus obseruauerunt, præter ultimam pacem. Quia illi de Monferrato erant gravati de ista guerra, ita quod non poterant magis sustinere guerram. Et tunc dictus Gulielmus venit in Astens. fiducia, &c. ut in Clypeo Telo VI.

Ead. pag. 32. lin. 24. Testonam in Antistitis Taurinensis odium planè destruxerunt.

Resp. Hoc etiam ab odio in Astenses tibi fingis somnium. Nam etiam antea sub temporali dominio Taurinensis Præsulis fuisset Testona, eo tempore tamen, ✝ ut alia plura nobiliora oppida, rem suam publicam nomine Communis administrabat. Eam verò exciderunt Astenses cum Cairensibus ✝✝ quia rupto foedere cum ipsis inito, utrosque veluti hostes habebat. Et utrorumque mercatoribus, ad ulteriora versus Alpes loca; et Cairensibus præterea, ad Molendina Padi, contra ius gentium, transitum denegabat.

Jaffred. ab Ecclesia an. 1224.

Monn. Asten. et Catten.

Si res ita se habet, cur de nobis conqueritur? Cur scriptis nostris mendacij, et falsitatis plagam infligit? Prima bella comparatis foenore divitiis fuisse gesta utique non dixeramus, sed eiusmodi pecunia, potuisse suam tueri libertatem. Et Astenses post annum 1226. casanas aperuisse fatetur, et Astenses et ex illo tempore validiores bellorum turbines, et impetus sustinuerunt, ut hostes suos sibi subiicerent: qua fronte potest inficiari ipsos Astenses deportata ex remotis regionibus pecunia usos non fuisse? Verum si a veritate non discessit Senator Ludouicus ab Ecclesia, asserens, che fatti potenti gli Asteggiani per la gran mercantia, commercij, cambi, et usure, ottennero nel 1140. privilegio da Corrado Imperatore di batter dinari: aperta consequentia colligitur Astenses ante annum 1226. eiusmodi negotiis incubuisse, eosque crescente in dies foeneratorum numero, cum nullus esset in patria, locisque finitimis, qui ad usuram acciperet, in exteris regionibus, ut ait Alferius anno 1226. lucrum quæsiuisse, non negamus, tamen eosdem Astenses etiam cambijs licitis, quæ sæpe vulgo foeneratitia credebantur operam dedisse, et hoc ad Capituli huius oppugnationem sufficiat.

Pag. 34. lin. 2. Si a veritate non discessit Ludouicus ab Ecclesia, asserens; Fatti potenti gli Asteggiani, per cambii et usure, ottennero nel 1140. privilegio da Conrado di batter denari.

Resp. Nauseam movet haec crambe recocta: et iam argumento ipsiusmet anni 1140. qui eum, quo Astenses Consules, e telonia primum habere cœperunt, octoginta sex annis præcessit, aperte imposturæ damnata.

Telum VII. ead. pag. 160. lin. 3. Donec tandem eodem anno 1310. Comiti Sabaudiæ, et deinde Regum Neapolitanorum iugo cervicem submittere coacta est.

Veritati haud consonant isthæc amarentula verba. Nam de Roberto Neapolitanorum Rege, hæc debet Gulielmus Ventura ad ipsum annum 1310. Tunc Astenses ordinaverunt mittere Albam octo Ambasciatores: quia ibi erat Robertus Siciliæ Rex, et Congregato Concilio, firmatum fuit, quod unus Judicus iret ad dictum Regem: qui haberet Bayliam generalem faciendi societatem, et ligam cum præfato Rege Roberto. Et præfatus Rex fecit in Alba ligam, et Confœderationem cum Astensibus in hunc modum. Quod debeat eis auxiliari, et præliari contra omnes, qui inimici fuerint illorum, qui nunc tenent Civitatem Astensem, et omnes alios posuit in sua protectione ubicumque fuerint. Et illud idem eidem Regi promiserunt Astenses: dando eid. Regi, et suis hæredibus annuatim, marchas centum argenti. et ego de iis audivi legi in maiori Consilio publicum instrumentum.

Non igitur subiugatio, sed confœderatio erat hæc dicenda prout eam dixerat † Ludovicus ab Ecclesia auctoris Patruus. Quamquam vero deinde 1312. novis initis pactis cum Ugone Baucio, eiusdem Regis nomine, aliquanto majus ius in ipsam Urbem eidem Regi traditum fuerit, id tamen non ab ipsa civitate, † sed a Guelfis, qui exactis Gibellinis, rerum potiebantur, actum: reclamantibus non Gibellinis modo, sed et iis qui neutras sequebantur partes. Hinc ubi primum facultas isti data, deturbatis Guelfis, Regiisque ministris, in pristinam, se asseruit civitas libertatem. † Cum Roberti filia Joanna Regina ad illos postliminio restituendos, Franciscum Rinforzatum Dagum cum valido misisset exercitu, Astenses, contractis, ex suis nec non ex Papiensibus atque Cairensibus, (à quibus similiter, exacti fuerant Guelfi.) non exiguis copiis, in summque Ducem Joanne Marchione Montisferrati delecto, hostes primum, eruptione facta, ad Pontem Urbis fluvij, submovere. Deinde illos ad Gamellarum assecuti, et aggressi; occiso Francisco Rinforzato, ac cum eo fortissimo, et nobilissimo quoque, reliquos in fugam verterunt. Qui cum Montem Cellerium se se recipere cogitassent, ab Molendinorum alveo præpediti, ad unum ferè sunt trucidati, ita ut ad triginta millia in eo conflictu cecidisse sit memoriæ proditum: et Ruptæ nomen loco inditum.

Multo vero minus de Comite Sabaudiæ dici potest, quod hæc Civitas eo anno illi se subdiderit. cum omnino diversa legantur †. Nimirum sub ipsius anni 1310. finem,

† Hist. Pedemontii pag. 174.

† Acta pub. 1312. 17. apl.

† Memm... Ainarij ... Boarmini... Gallicum... Benue...

†

†

† Gull. Ventur. ipso anno.

Henricum VII. ultra mensem Astæ commoratum, privilegia quæque, seu iura ab antecessoribus ei concessa, confirmasse: exacto antea à civibus fidelitatis iuramento, et intolerabili tributo. Postero autem †. ab eisdem civibus egregiam pecuniæ summam collatam, ad persolvendum honorarium eidem Comiti, tamquam Vicario generali in Civitatibus Lombardiæ, ab eodem Henrico instituto. A quo Cæsare licet idem †. Comes anno 1313. rescriptum impetrasset: quo ei civitas Astensis in feudum concedebatur; et epistolam ad Guidonem Valpergam Astensem Episcopum, qua ei mandabatur; ut Comiti in assequenda possessione præsto esset; et plurimi civium in eum propenderent, Ugo tamen Balcius, a Guelfis, uti diximus, iam in Urbem intromissus, et Henrici Pisis paulo post secuta mors, ne optatum effectum iota sortirentur, impedimento fuere.

†. publ. 27. Apl.

†. Dat. Pisis 27. Febr.

Ad Cap. VII.

Quemadmodum ab æstuantibus inter Ecclesiam, et Imperium, bellorum fluctibus Astensium libertas emersit, sic inter præcipuas Urbis familias concitatis ab ambitione discordiarum procellis, in summa rerum suarum fælicitate exteris Principibus subiacere coacti sunt. Astæ sicut et in aliis Lombardiæ, et Tusciæ Civitatibus, iam post Federici II. Imperatoris mortem, et Caroli Siciliæ Regis in Italiam adventum surrexerunt damnosæ illæ Guelphorum, et Ghibellinorum factiones, quibus non Civitates tantum, et oppida, sed ipsæ privatorum domus, in duas partes dissectæ, ardentiori odio, et longè immaniori crudelitate, quam inter Christianos, et Turcas fieri posset, in se invicem sæviebant. Nam etsi Astæ Reipublicæ causa aperto marte non dimicaretur; dubium tamen non est, quin se vatinianis odiis prosequentes, sibi mutua damna referre conarentur. Guelphorum partes sustinebant in primis familia Solariorum à Solerio Castello, quod inter Astam, et Alexandriam iacet, sic denominata. Illi cum iam a multis annis Astam incolerent, et ad eam potentiam excrevissent, ut concives suos et virorum numero, et fortunarum affluentia longè superarent, et ut ait Galeotus à Caretto supra 24. Castella possiderent, reliquas Urbis familias habebant despicatui, quin adhærentes Regi Carolo, et Sabaudiæ Prosapiæ, quæ tum temporis Guelphos tuebatur, non solum Castellos, qui divisi in tres præcipuas familias Isnardam videlicet, Turcam, et Guttueriam, facti Gibellinorum potissimi fautores, secum trahebant eius factionis cives patria exclusenrunt, sed etiam in publicis regiminibus primum locum sibi vindicare, omnia gerere arbitratu suo non dubitabant. Hoc regendi modo cum totius Urbis malevolentiam et odium sibi conciliassent, parti contrariæ præbuerunt occasionem acerrimum Guelphici nominis inimicum Ioannem Marchionem Montisferrati in Civitatem invehendi, qui arrepta occasione, et coniunctis viribus cum Manfredo Marchione Salutiarum ducibus Ghibellinis Civibus mense

Maio anno 1303 non 1294. ut ait Beneuenutus, Urbem ex improviso cepit, Guelphorum ædes diripuit, Solariorum incendit, quibus Albam fugiendi vix tempus relictum fuit. Hinc prima Civitatis Astensis ruina; hinc innumerabilium malorum caterva, hinc denique libertatis ipsius iactura profecta est. Siquidem Solari non contenti Commissario Regis Caroli Secundi Albæ iurasse fidelitatem, in subsidium suum advocarunt Philippum Sabaudum Principem Achaiæ, qui peditum quinque millibus, ducentisque equitibus anno nondum elapso, versis in fugam Ghibellinis, direptis illorum ædibus, Urbis Astensis obtinuit administrationem, et Guilielmum de Montebello militem suum illius regimini sufficit, sed nec ea clades Ghibellinis animos ademit. Siquidem anno 1310. Henricum 7. Imperatorem Astam advocarunt, qui accepta ab iis Civibus fidelitate, Amedeum Comitem Sabaudiæ cognatum suum Astæ dominum constituit, et investiuit: quæ investitura non multo post tempore anno videlicet 1313. Pisis confirmata est, scribente Imperatore ad Guidonem Episcopum illius Civitatis nimirum ut satageret, et omni modo efficeret, ut non Urbis solum, sed etiam totius Comitatus, et omnium pertinentiarum possessio dicto Amedeo Comiti concederetur: ita testantur duo rescripta Imperialia, et directæ ad episcopum litteræ, quæ nos ipsi vidimus in Archiviis Regiis Taurini registrata, etsi Senator ab Bellesia, et Franciscus Voersius in Historia Clarasci solius rescripti Pisis concessi faciant mentionem, Boterius scribit, quod Henricus ubi in Pedemontium venit, Amedeum Comitem Astæ, et Imperii Principem constituit, quodque iter suum prosequutus, Vicecomites Mediolano restituit, quæ omnia cum gesta fuerint Imperatore Pisis nondum recepto. Quis donationem prius fuisse factam non intueatur? Datam Amedeo Comiti ab Imperatore Henrico Astam refert Pingonius, sed annum omisit. Voersius loquens de donatione Civitatis, et Comitatus Astensis ab Imperatore Carolo V. Duci Carolo 3. concessa sic ait.

Carlo V. tenuto ch' ebbe due anni il Contado sopradetto d'Asti, e ricordandosi che Henrico VII. Imperatore n' aveva investito di esso Contado l'anno 1313. Amedeo Conte di Savoia, et i suoi Successori in perpetuo, dichiarandolo di più Prencipe e Vicario perpetuo del Sacro Romano Imperio, Duca di Chables, ed Osta, lo volle restituire al suo vero, et antico padrone, che però l'anno 1531. lo diede al Serenissimo D. Carlo, et à suoi Successori in perpetuo.

Obiecta Capite VII. Illustrationis.

Pag. 36. lin. 11. Henricum VII. Astam advocarunt: qui accepta à civibus fidelitate, Amedeum Comitem Astæ Dominum Constituit, et investiuit.

Resp. Erroris circa tempus, et locum te arguit ipsummet Henrici diploma, non datum anno 1310. neque Astæ, sed Pisis anno 1313. sicuti etiam epistola

Henrici ad Guidonem Episcopum. Sed illud 26. Februarii, hæc 16. Junij †. Henricus enim, qui ut in Clypeo dicitur. Astæ agens concessa ab antecessoribus, diplomate dato anno 1310. 17. kal. Decemb. confirmarat, ubi Pisis accepisset, Ugonem Balcium in urbem admissum universæ ciuitati tribuens Guelforum culpam, diplomate illo, Amedeo Astam in feudum concessit. Quod enim non universa Ciuitas, sed soli Guelfi, qui Roberti Regis præsidio, rerum potiebantur, Balcium admisissent, plene constat ex verbis conuentionis initæ cum ipso Rege ea Ventura in Clypeo iam relatis, nimirum: quod Rex deberet præliari contra omnes, qui inimici fuerint illorum, qui nunc tenent ciuitatem. Tenentes namque dicebantur illius factionis ciues, qui adversam factionem urbe expulissent. Qui vero extorres erant facti, Forenses tum appellabantur. Idem etiam probant †. publica documenta, quibus Guelfi ipsi ciuitatem Regi submiserunt, rogata anno 1312. et 1313. confirmata.

ex Archiuio Civit.

Conven. initæ 17. April.

Pag. 37. lin. 6. Voertius de ipsa donatione sic ait. Carlo V. ricordandosi, che Enrico VII. haueva inuestito di esso contado l'anno 1310. Amedeo Conte di Sauoia, lo vuole restituire al suo vero, et antico padrone, e però lo diede al Serenissimo Duca Carlo.

Resp. Concessam fuisse hanc urbem ab Henrico VII. Amedeo Comiti Sabaudiæ, auctor Clypei, ut in superiori Responso ediximus, disertis verbis tradidit. An vero, uti vult Voertius, ea de causa Carolus †. ipsi Duci Carolo eam donauerit illiusve Henricianæ donationis rationem aliquam, necne, habuerit, palam faciunt diplomatis ipsiusmet Cæsaris verba, ex iis namque perspectum fit: Carolum ipsum Augustum, cum Franciscus Galliarum Rex hanc Ciuitatem, cum omni sua ditione, illi remisit, eam primo concesisse in Feudum Carolo de La Noy Proregi Neapolitano. Quod in eiusdem Regis gratiam fuisse factum, intelligi datur ex literis ipsiusmet Francisci ad nostros ciues datis: quibus eos commonet, ut deberent solvere prædicto Carolo de la Noy, omnem residuam pecuniam, quam illi debuissent, pro tempore, quo ipsa urbe fuerat potitus; in compensationem obsequiorum sibi præbitorum ab eodem de la Noy. Hoc vero intra biennium e viuis sublato, relictis filiis huic Ciuitati regendæ ætate imparibus, illorum matrem Franciscam de Mombello, æquiualenti recepta compensatione, (nimirum Principatu Sulmonæ, Ortonæ ad mare, et Doganella Abrutij) ciuitatem ipsam eidem Carolo V. cessisse. Qui ut indulgeret Beatricis cognatæ precibus, huic illam in feudum concesit, pro ipsa, et masculis ab ea descensuris dumtaxat, ea tamen conditione: ut si ante Carolum Ducem ac maritum, ipsa Beatrix, nullis relictis masculis, obiisset, idem Carolus Dux quandiu viueret, non vero alius quisquam, eiusmodi donatione

Dat. Gan. davian. 1531.

frui posset. Ex quibus apparet, quam levis author sit istetuus Voërtius.

Pater Monodius suæ Apologiæ cap. 63. huius etiam donationis meminit, quin et eam à Summo Pontifice confirmatam fuisse testatur. Itaque sive hæc donatio facta fuerit Astæ, sive Pisis, ut adversario placet, sive Comes actualem possessionem obtinuerit, sive solum ius, et dominium, nobis sufficit habere auctores, qui id affirment, dicant et Civitatem et Comitatum ab Imperatore vero, et legitimo utriusque Dominio factas eodem anno 1313. Marchionibus Carretti, Asinariis, ac aliis eius Vasallis, quæ in Regio Archivio Taurini conspiciuntur. Quod si post Henrici mortem, quem eodem anno in loco Boniconventus veneno dicit fuisse sublatum, ab Astensibus in prosapiam Sabaudicam parum æquis, adiuvante Hugone Baleio Regis Roberti Seneschallo, quem contra iuratam Imperatori fidelitatem Guelphi in urbem invexerant, per vim impeditus, non potuerit retinere dominium: an ideo Astensium violavimus existimationem, dicentes lin. 13. eiusd. paginæ 160. Donec tandem anno 1310. Comitis Sabaudiæ, et deinde Regum Neapolitanorum iugo cervicem submittere coacta est.

Ad pag. 27. lin. 27. Ab Astensibus, in Sabaudicam familiam parum æquis.

Resp. De iis hoc dici potest, qui inviti, sub huius Regiæ familiæ dominium sunt redacti. Non certè de Astensibus. Hi namque acceptis +1 Caroli V. et Beatricis +1 Ducissæ epistolis, referente, ac ipsorum vota exquirente Gualterio Lopes de Padillia Cæsario Commissario, volentes, ac lubentes sub ipsummet dominium concesserunt. Et idem studium in bello, æquè ac in pace, summa fide, et illustri constantia, eidem familiæ semper probarunt.

+1 Dat. Gandavi 3. Apl. 1531.

+1 Dat. Taur. [illegible] maij eod.

Imo iustiorem habent Serenissimi nostri Principes conquerendi occasionem reperiri subditos tam perfrictæ frontis, qui concessas suæ Regiæ coronæ ab Imperatoribus, et urbis, et Comitatus Astensis donationes impugnare præsumant. Sed quia pari audacia Astam Regibus Neapolitanis unquam paruisse inficiatur, videamus quid super hac re senserint Historici, vel ex antiquis scripturis colligi possit. Confitetur, quod intellecto appropinquantis ad urbem Henrici Imperatoris adventu, Guelphi Astenses eodem anno 1310. ad ineundum, firmandumque cum Roberto Rege Neapolitano foedus Albam Legatos destinarint promisso tributo, sive pensione pro eo, et successoribus eius centum marcharum argenti, (quæ teste Ludovico ab Ecclesia 64. rubbos argenti puri conficiunt) quodque anno 1312. admisso in Urbem prænominato Hugone post Henrici discessum auctoritati Regiæ non parum ponderis accesserit, sed reiecta in Guelphos omni culpa, quod in antiquis chronicis manuscriptis legitur omnino supprimit, scilicet anno 1313. data fuit Civitas Astensis per illos de Solio Regi Roberto Neapolitanorum.

Quodque anno sequenti idem Rex miserit in suum Vicarium, et Urbis Gubernatorem Ioannem de Puteo Alexandrinum, qui Regis ipsius nomine fidelitatem totius urbis accepit, nec aithuic Ioanni quamplurimos alios eiusdem Roberti nomine successisse Gubernatores, inter quos enumerantur Ioannes de Basignana annis 1314. et 1315. Angelinus de Sicheris ann. 1321. Guilielmo de Ceva Iudice, Petrus Confalonerius de Villata anno 1324. Angelinus Czarus anno 1327. Bartolinus de Cauazzanis anno 1329. Ioannes Fulgosius anno 1330. Philippus de Costapagano anno 1334. Bordellus de Fulgosiis anno 1335. et alij, qui Vicariorum Regiorum titulo Civitatem illam ad annum 1339. nomine Roberti Regis administrarunt, Vassallis Comitatus illius investituras, et alios omnes iurisdictionis actus, qui à legitimorum Principum Vicariis fieri solent, concedentes. Nec satis mirari possumus hunc auctorem rei manifestissimæ voluisse tam pertinaciter aduersari: Nec iuuat dicere, à solis Guelphis, penès quos erat omnis auctoritas Ciuitatem Regi Roberto donatam fuisse, non assentiente, imò reclamante parte contraria; nostra enim non refert, quis dederit, modo etiam Regi subiacuisse probemus. Addo præterea Ghibellinos etiamsi in principio acriter repugnauerint, tandem acquieuisse, cum anno 1332. patriæ restituti, intercedente Regis Vicario cum Guelphis in gratiam, et amicitiam redierunt.

Pag. 38. lin. 6. Iustiorem habent Serenissimi nostri Principes conquerendi occasionem; reperiri subditos tam perfricatæ frontis, qui concessas eidem donationes impugnare præsumant.

Resp. Vide quæso, ne perfricatæ frontis sis tu dicendus: quem non pudet obiicere auctori Clypei, ab eo hanc donationem impugnari: cum is in fine nunc præmissi VII. Teli, non solum concessam hanc urbem in feudum Amedeo ab Henrico tradiderit: sed etiam subdiderit, Henricum ad Guidonem literas, pro huiusce donationis executione dedisse: ac etiam in margine è regione diem, et annum diplomatis Henrici, et Epistolæ ad Guidonem notauerit. et præterea memoriæ prodiderit: ab Henrico ipso Amedeum Vicarium pro eodem Imperatore fuisse in Civitatibus Lombardiæ constitutum: quod Sabaudici Historici præterierunt. De te igitur iidem æquissimi Principes potius conqueri deberent, quod tot, tamque apertis criminationibus à fidelissima Ciuitate hostili plané animo, et adeo pertinaciter, eos abalienare contendas.

Ead. pag. 38. lin. 10. Sed quia pari audacia, Astam Regibus Neapolitanis unquam paruisse inficiatur.

Resp. Ergone in retam aperta rursum mentiri non erubescis; Nonne ti in Clypeo dicitur: Ciuitatem fuisse a Guelfis, recepto in eam Balcio, Regi Roberto traditam: ab hocque retentam: quousque ipso Rege defuncto, Astenses se in libertatem asseruerunt: atque in ea delato exercitu à Ioanna Roberti filia immisso, perseuerarunt?

ti eod. Telo VII.

Verum licet postea anno 1339. accito ad urbis gubernationem Ioanne Montisferrati Marchione, et Guelphis exactis Astam de Regiorum Officialium manibus evulserint, et imperante Ioanna Regina Roberti nepte, unitis viribus cum eodem Marchione Ioanne sub Castello Gamenario in territorio Cherii Reginalem Senescallum ingenti clade profligarint, inde tamen sequi non potest Reges Neapolitanos Asta potitos non fuisse. Verum si Asta teste Tristano Calco anno 1210. ab Othone IV. Imperatore Guilielmo Pusterla nobili Mediolanensi infeudata fuisse dicatur, et post ea tempora de quibus supra meminimus Astenses Marchionibus Montisferrati Vicecomitibus Mediolani, Ducibus Turonensibus, siue Aurelianensibus, siue potentiam siue qualitates alias spectemus, qui nec Ducibus Sabaudiæ, nec Regibus Neapolitanis conferri possunt morem gerere coacti sunt, qua Astenses iniuria prosecuti sumus, iuxta rei veritatem asserentes, Principibus illis eos aliquando obtemperasse.

Pag. 60. lin. 3. Verum si Asta, teste Tristano Calcho, anno 1210. ab Ottone IV. Imperatore Gulielmo Pusterla infeudata fuisse dicitur.

Resp. In nostro archiuo extat huius Ottonis IV. diploma datum Albæ anno 1210. 18. Kal. Ianuarij: quo libertatem, regalia, ac cætera concessa ab antecessoribus confirmavit. Cum inter cætera in diplomatibus suis ipsi Reges promittere solerent nemini ipsam Ciuitatem se concessuros: et nominatim hoc fecisset Fridericus I. suo diplomate, sub initium a nobis; et à te p. 19. reddito: sed omissis (haud imprudenter) istis verbis. Adiicientes quoque constanter statuimus, quod prædictam potestatem, de Ciuitate, de Comitatu, de Castro (Noni scilicet olim Annonis) nulli Archiepiscopo, nulli Episcopo, nulli Marchioni, nulli Comiti, nulli potestati unquam concedemus: nisi solis nostris fidelibus de ipsa Ciuitate. Ex quibus præterea verbis liquet, quempiam somniantem auctorem secutum ti Calchum, cum dixit: a Federico dono datam Astam Marchioni Montisferrati: qui veteribus, et importunis destructis, nouas, et rei suæ commodas arces statim ædificavit. Quod minime verum præterea probant

ti l. 7. pag. 68.

arces quæ tunc solæ erant (nimirum Castrum vetus, et Castrum Varronum) etiam nunc extantes primæuamque vetustatem præseferentes. Quorum primum à Brenno, alterum a tribus fratribus ex Varronum familia, quibus Pompeius instaurationem Vrbis demandarat, fuit constructum.

Folium VIII. pag. 161. lin. 6. Pastor primus Episcopus Astensis, anno 451.

Cum ex actis Sancti Euasii Beneuentani, quæ vulgauit Io. Marias Ballianus in +. vita, quam de hoc Sancto Italicè edidit, certum perspicuumque fiat hunc Sanctum in primum Episcopum electum ex petentibus oratoribus, quos Romam ad proprium Episcopum impetrandum (prout in Ecclesia Latina perpetuo vsuuenisse constat, pro primis episcopis dumtaxat obtinendis, cum electio Successorum ad Clerum, populumq. pertineret) Astensis Ciuitas delegarat: eundemque, tam +. apud Beneuentum, quàm apud Sedulam, in Conuertendis Gentilibus, non autem hæreticis, perpetuam operam nauasse: ob idque a Prætore, qui se idolatram dictis, et factis profitebatur, ipsum sanctum, cum Proiecto Diacono, et Malliano Subdiacono, huius Astensis Ecclesiæ, ac aliis centum quadraginta quinque Sociis, ab idolorum cultu, ad Christi fidem perductis, capitali sententia damnatum, necessario consequitur: Astensem ciuitatem, proprium Episcopum eo tempore consecutam, quo adhuc vigebat Idolorum cultus; licebatque Ciuitatum Prætoribus, in Christianos quæstiones impunè exercere, ac desæuire. Et proinde antequam per Constantini edictum, hæc illis interdiceretur facultas. Sicque saltem annis 1e0. ante hunc Pastorem. Quem præterea non fuisse primum Episcopum Astensem, optimè potuit author cognoscere ex Corio: qui inter suffraganeos Sancto Ambrosio attributos, Astensem reponit Episcopum quinto loco inter eos, qui ei ad dexteram assidebant supra Taurinensem, et Genuensem. Vnde licet in Catalogo Episcoporum Astensium sub Io. Stephano Agatia edito, hic pastor primo loco ponatur (quia scilicet, nullius antiquioris compertum habebatur nomen) non tamen, uti fit ab hoc authore, asseritur primus.

[margin: ...pressa Tridini ...n. 1566. cap. 4.]

[margin: ...pro totis Actis c. 9. et 10.]

Ad Cap. VIII.

Ballianum qui D. Euasii vitam conscripsit, in iis quæ ad rem suam faciunt, Astensis auctor veridicum, in reliquis nulla fide dignum existimat. Quod hunc Sanctum in Antistitem suum ab Apostolica Sede

intercedentibus Legatis impetrarint, firmiter tenet, et affirmat verum quod Luitprandus huic rei suam operam adhibuerit, eumque Gregorius concesserit penitus inficiatur. Admittit hunc Sanctum apud Sedulam (hodie Casalem) martirij palmam consecutum esse, sed ab hæreticis tempore Luitprandi occisum fuisse, negans à Gentilibus et Idolatris antequam Taurino et Vercellis traditus esset Episcopus fuisse martyrio coronatum arbitratur. Asserit ~~imperante~~ imperante Luitprando vixisse Euasium Episcopum Astensem Regi illi acceptissimum, sed illum esse Martyrem Beneuentanum non vult concedere, et alium quem cum Euasino confundit, qui tempore Caroli Magni viuens cuidam eius donationi factæ in fauorem Ecclesiæ Novalicensis subscripsit, et ex eo, quod Ballianus asseruit hunc Episcopum Ecclesiæ Astensi ipsius populi rogatu à Sommo Pontifice fuisse concessum, quoniam in primitiua Ecclesia primi Episcopi à Pontificibus concedebantur, sequentes à Clero, et populo eligi solebant, argumentatur necessario confitendum esse, hunc Euasium rogante Ciuitate concessum Ecclesiæ Astensi fuisse primum Episcopum, et consequenter nos turpiter errasse, cum linea 6. 61. paginæ, Pastorem qui sub Archiepiscopo Eusebio celebrato Mediolani Concilio legitur subscripsisse, diximus fuisse primum Ecclesiæ Astensis Episcopum, quandoquidem eam Ciuitatem multis ante temporibus Episcopali dignitate, ut ait, compertum sit fuisse decoratam in cuius rei probationem adducit non solum quidquid ex Balliano in rem suam, et pro commentitio, et excogitato Euasio colligere conatur: verum et auctoritatem Bernardini Corij, cuius monumentis proditum ait, Concilio quod sub Syricio Papa Taurini anno 390. celebratum fuit inter alios Sancti Ambrosij Mediolanensis suffraganeos interfuisse Astensem, et quamvis Joannes Stephanus Aijassa Episcopus Astensis in Cathalogo suorum prædecessorum nuncupet primo loco Pastorem, non tamen ab eo, ut à nobis factum est primum nuncupari.

Obiecta Capite VIII. Illustrationis.

Pag. 40. lin. 15. Ballianum, qui D. Euasij vitam conscripsit, in his quæ ad rem suam faciunt, Astensis author veridicum: in reliquis nulla fide dignum existimat.

Resp. Balliano uti sinceræ fidei authori, plenissimam fidem adhibuimus in Clypeo in his, quæ pertinent ad Acta ipsa: non quidem ab illo primum conscripta, sed è monumentis Sedulensis ecclesiæ eruta, et Italicè ab eo vulgata. Discessimus vero non quidem ab ipsis actis, sed ab ipsomet Balliano in tribus, quæ si habeatur

temporum ratio (ab Historico pro lapide Lydio perpensio habenda) apparebit, Ballianum ea, non ex Actis accepisse; sed coniectando, de suo adiecisse. Horum primum est. Unum et eundem fuisse Sanctum Euasium Beneuentanum, primum Astensem Episcopum, et Martyrem, cum S. Euasio, qui Luitprando Rege, eandem rexit Ecclesiam. Ex quo secundus ortus est error: nimirum S. Euasium Beneuentanum, de quo Acta ipsa agunt, discessisse Asta non quidem ob Gentilium, sed ob Arianorum persecutionem. Unde etiam tertio erravit: Autubalum, scilicet Lombardum, et Arianum item dicendo. Quibus erroribus ansam præbuit nominis communitas: et constans fama: quod Ariani S. Euasium aliquando fugassent. Quod ei, qui sub Luitprando sedit evenisse, non quidem Astæ, sed in Castro, tertio ab ea lapide, Cortacomaria dicto, præter famam in proximioribus castris perpetuatam, varia scripturarum, et picturarum monumenta testantur. Quibus adstipulatur confessio incolarum eiusdem loci. qui tamen non in ipsomet castro extitisse Arianos illos, sed in viculo sito in Colle eiusdem agri Miravalle dict: ac postmodum desolato, et ad hanc diem Miravalle Arianorum appellato affirmant. cap. 4. cap. 6. cap. 9.

Ead. pag. 40. lin. penul. Antequam Taurino, et Vercellis traditus esset Episcopus, fuisse S. Euasium martyrio coronatum arbitratur.

Resp. Neque Taurini, neque Vercellarum in Clypeo hoc loco fit mentio. Videas tu, quo animo de tuo hoc addas.

Ead. pag. lin. ult. Asserit imperante Luitprando, vixisse Euasium Episcopum Astensem, Regi illi acceptissimum: sed illum esse Martyrem Beneuentanum non vult concedere.

Resp. Et quisnam non prorsus rationis impos hoc concedat? Cum inter S. Euasium Beneventanum et Luitprandum, ultra quadringentos annos intercurrisse, argumentis duobus, quæ nobis suppeditant illius Acta, firmissime probemus: Horum primum est. Sanctum Euasium Beneuentanum, non modo ab Astensibus legatis in primum Episcopum expetitum a Summo Pontifice; ac proinde Pastorem, aliosque Episcopos, qui non nullis Conciliis, ante Luitprandi tempora, celebratis interfuerunt, præcessisse: sed ab eodem Papa, et electum et consecratum. Quorum neutrum præterea S. Euasio Luitprandi Synchrono ulla ratione convenire potest. Non inquam a Pontifice facta electio, quia tunc ad Clerum, et populum tam firmo iure hæc pertinebat, ut ipsimet Summi Pontifices religioni ducerent, in ea se immiscere. Unde cum Mediolanenses consuluissent S. Gregorium, num eligere deberent in suum Episcopum Constantinum

ipsius sancti olim discipulum, idem sanctus, etiamsi illum virum probum, et approbatum haberet, ita tamen rescripsit. † Verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda Pastoralis curæ onera, pro nullius misceri persona, orationibus prosequar electionem vestram. Non item consecratio, quia præmissa, eo tempore, Papæ approbatione, ad Metropolitanum illa spectabat. Cuius iuris tuendi Mediolanensis adeo tenax erat, ut † legamus, sanctum Benedictum eodemmet Luitprando Rege, Romam, incassum tamen, profectum, ut illud in Episcopum Papiensem vendicaret.

† l. 1. Epis. 29. Ind. 11.

† Paul. Dia. l. 6. c. 29. an. 715. Ba...

Alterum argumentum. Eundem S. Beneuentum, vigente adhuc Idolorum cultu, et antequam per Constantini edictum inhiberetur Christianorum persecutio, martyrio coronatum. Hoc probant: Nulla omnino in iis, ad quos ipse prædicabat Christianæ religionis cognitio. Eiusdem fidei simplex prædicatio: nulla scilicet consubstantialitatis, aut alterius dogmatis controversi, facta mentione. Simplex item in iis baptizandis adhibita forma; non verò ea, qua ab Ariana hæresi conversi ad Catholicam fidem conciliabantur. Aperta professio cultus falsorum Deorum in eisdem: illorumque, ubi isti conveniebantur, expressa renunciatio. Eidem regioni tunc præsidens Consul. Qui erat Magistratus † ab Augusto, in singulis Italiæ regionibus institutus; et ab Adriano, ac Pio confirmatus. Nomina omnia, vel Latina, vel Græca, Latinis familiaria. Ut verbi gratia Autubalus, ultroneum, seu spontaneum significans. Autubalus ipse † ita falsorum Deorum cultui addictus, ut tribueret arti Magicæ, S. Euasii miracula: et præstigiis, incolarum conversionem. Diceretque se a suis magnis Diis, timere, ne pœnas daret, si sanctum ultra concionari de Christo permitteret. Unde illum in eorum cultu sibi non assentientem, ac socios eius, lata pro tribunali sententia capite damnauit.

† Dio Cassius in cor. vitiis.

† capp. 9. et 10.

Fatemur potuisse fieri, ut et in vita S. Euasij, quam Ballianus descripsit nonnulla interciderint æquivoca, quæ vetus illius legenda potuit induxisse, verum tanti momenti non sunt, (quemadmodum sequente Capitulo demonstrabimus, ut illis substantia Historiæ possit everti) veluti si quis aliquem iam fato functum 150. annos, post suam mortem vixisse, vel eum qui in Ecclesia primitiua, sæuiente persecutione ab Idolatris Martyrij palma coronatus est, eundem cum iam persecutio contra christianos desijsset, ab Hæreticis fuisse iugulatum affirmaret. Sub initium Episcopos à Clero, et populo electos fuisse non negamus, sed nec adversarius negare potest, eos sæpius ab Apostolica Sede non fuisse confirmatos, (et eiusmodi exemplorum plena sint monumenta historiarum)

Regibusque, et Imperatoribus de Romana Ecclesia bene meritis, qualem fuisse Luitprandum confitetur, non exiguam in eiusmodi electionibus fuisse potestatem, et potissimum, si quid discordiarum inter electores exoriebatur; et hoc legimus de Consperto Episcopo Vercellarum, quem Ioannes VIII. favente Carolo Mano, repugnante Archiepiscopo Mediolanensi non adhibito Cleri, aut Populi consensu. Vercellensi Ecclesiæ præfecit. Ad auctoritatem Corij quid — responderi possit ignoramus; non enim legimus auctores, quos Sacra Congregatio damnauit, licet eum citauerimus — iuxta relationem cuiusdam Astensis in tractatu Sancti — Secundi, qui Astensis Episcopus præsumitur, et in co — testantibus Paulo Diacono lib. 4. cap. 8. et Sigonio sub — annum 403. illum a veritate omnino discessisse reperimus: nec enim a Sancto Secundo Agilulphus, sed Adalualdus eius filius baptizatus est, nec hic Astæ, sed Tridentini — Episcopus erat. Dicimus tamen Corium, qui multis — sæculis post Taurinense Concilium vixit potuisse allucinari, nec enim alius quisquam eorum, qui super hoc Concilio scripserunt de Episcopis Taurini, Genuæ, et Astæ facit mentionem: imo scribit Pingonius eo concilio nouum Episcopum Genuesi Ecclesiæ, quæ multis annis Pastore uacauerat, fuisse delectum. Crediderim tamen, quod — Corius cum in Ambrosiano Templo Mediolani vidisset — expressum in veteri quadam pictura ordinem, quem — sedentes in Prouincialibus Synodis Metropolitani illius Ecclesiæ suffraganei tenere solebant, et inter illos Astensem positum quinto loco supra Taurinensem, et Genuensem — eodem plane modo quo describitur a Iosepho Ripamontio libro quinto Historiæ ecclesiasticæ Mediolanensis eam — picturam viuente ipso Ambrosio factam fuisse iudicarit. Verum si Lector animadvertit in eadem pictura Nouariensem Episcopum secundo loco post Vercellensem collocari facile intelliget, picturam hanc iam relato in superos Ambrosio fuisse delineatam, etenim si Præsuli Biscapeccio credimus, ante annum 397. Nouaria non habuit Episcopum, quo — anno huic Ecclesiæ præfectus est S. Gaudentius Hiporediensis, qui cum S. Ambrosius eum fore Episcopum prædixisset, — respondisse fertur, (et ita narrat Ferraris) se ab eo non — consecrandum, et ita contigit; nam paulo ante promotionem Gaudentij, Ambrosius in Cœlum euolauit. Denique si in Concilio Taurinensi nouus Antistes Genuensi Ciuitati — decretus est, quomodo potuit supra Genuensem, qui non erat sedere Astensis? Si concilium hoc teste Pingonio — anno 389. siue anno 390. teste Corio, siue anno 395. iuxta Onuphrij opinionem celebratum fuit secundum Ambrosianam picturam, quomodo potuit qui nundum erat interesse — Nouariensis? Itaque si antiquior Pastore Pastor non — reperitur, nec antiquiorem qua fieri potuit diligentia —

reperierunt, nec Episcopus Aijazza, nec Mayolus Astensis cum vitas Summorum Pontificum revolutis Vaticani Archiviis compilavit, cur eum primum non potuimus appellare? quod si primus in ea sede non fuit, saltem primus in ordine ab iis episcopis collocatur, et hoc nobis sufficere videtur.

Pag. 42. lin. 28. In tractatu S. Secundi, qui Astensis Episcopus praesumitur; Corium a veritate omnino discessisse reperimus. Nec enim a Secundo Agilulfus, sed Adoloaldus baptizatus est: nec hic Astae, sed Tridentini episcopus erat.

Resp. Falleris certe in multis hoc loco, ab livore in Astenses abstractus, et illectus. Primo enim quod dicitur de S. Secundo, qui Agilulfum Regem baptizauit à Gaspare † Bugato (id ex antiquis fideque dignis Mediolan. Ecclesiae monumentis, tradente) est acceptum; non autem a Corio. Quod tamen sine religione fieri potuisset, cum non quidem prohibitus hic author esset) † sed tantum donec corrigetur suspensus. Deinde nomen illius, de quo ista Paulus: — Tunc etiam baptizatus est praedictus puer Adoloaldus filius Agilulfi Regis, in S. Ioanne in Modicia, et susceptus est de fonte a Secundo servo Christi de Tridento: non erat Secundus prout librariorum errore legitur ibi: sed Secundinus: uti videre est in epistola, à S. Gregorio ad eum data, cum inscriptione; quae cum nequaquam fuisse Episcopum praeterea ostendat. Ita enim se habet † Gregorius Secundino servo Dei incluso. Tertio quando daretur eum fuisse Episcopum, certe non potuit esse Tridenti: ut cum aliis, qui quod dicit Paulus de patria, de Episcopatu acceperunt, existimasti. Siquidem quo tempore fuit batizatus Agilulfus, † erat Tridenti episcopus Agnellus, qui ab eodem Rege statim missus fuerat in Gallias, ad redimendos captivos; quos Franchi abduxerunt † Agnello autem successit Verecundus: — Verecundo deinde Manasses: ut legitur in Cathalogo Tridentinorum Episcoporum: in quo nullus habetur Secundinus, vel Secundus. Firmum igitur ac certum manet, non Tridenti, sed Astae fuisse Episcopum illum Sanctum Secundum a Laurentio Archiepiscopo Genuae aegrotante, ad baptizandum Agilulfum Regem delegatum; quod esset pro Sancto habitus ac ex illius suffraganeis: et (ut conicere licet) in gratiam Gondualdi Astensis Ducis, sui cognati, ab ipsomet Rege, expetitus.

† Hist. suae in Agilulfo.

† Decr. Sac. Cong. an. 1622. l. 4. c. 28.

† l. 7. epist. 23. ind. 2.

† Paul. l. 4. c. 4. Sigon. Baron.

† Catal. epp. Trid. in Theat. Vitae Hum; et Vghello t. 5.

Telum IX. ead. pag. lin. 27. Sanctus Euasius Beneventanus, ad petitionem Luitprandi electus, apud Sedulam ob fidem Catholicam, interficitur ab haereticis.

Si hic auctor in Pastores valida pronunciauit ea argumenta, quibus Philippus Malabayla, in sua Apologia demonstrat sanctum Euasium Beneventanum

primum Astensem Episcopum fuisse: imo si hoc ipsum in ipsius Actis à Balliano Italicè redditis, capite 4. traditur: ac proinde multis seculis Luitprandum antecessisset; cur nunc, his posthabitis, eundem S. Evasium Beneventanum, et ad petitionem Luitprandi electum; et apud Sedulam ab hæreticis interfectum, idem auctor dicit? ac per consequens eundem sanctum ab Astensibus Arianis factis (uti Ballianus supponit) Asta fugatum? num ut Astensibus etiam hanc Arianismi notam inurat? est qui videat, et iudicet. Neque enim idem hic auctor adeo rudis historiarum est habendus, quin cognouerit, nullum omninò ab Arianis Luitprando, aut Catholicis, negotium facessitum, nedum bellum illatum, post devictos †. ab ipso eosdem Arianos, et capta castra, quæ intra Alpes, iidem Ariani †. sub Alachimo eorum Duce, ac Patrono Baioariis eripuerant; uti intelligi datur ex ipsius Luitprandi Epitaphio, et Paulo Diacono. Ex quibus etiam perspectum fit: hæc initio ipsius Regni euenisse. Quocirca Sigonius, de eodem Rege acturus, ita exorditur †. Cæterum hæretica peste non amplius Longobarda regia laborabat. Eique concinunt idem Paulus Diaconus, Anastasius, Cæterique historici: qui de illius Regno ita egerunt: ut appareat, sub hoc Rege non modò quietè egisse, sed, uti canit ipsius Epitaphium, floruisse mirum in modum Sanctam (idest Catholicam) ac frequentem religionem: Arianis, vel deletis: vel ita afflictis, ac dispersis, ut iam hiscere non auderent. Unde auctor optimè intelligere potuit, errasse Ballianum, tum Sanctum Evasium Beneventanum, unum eundemque cum eo Sancto Evasio, qui sub Luitprando sedit, existimando, tum etiam ipsummet ab Arianis interfectum affirmando; tum denique huius Martyrium, bellumque cum Caunio Arianorum Duce, à Luitprando gestum, et de eisdem (Sancto Evasio huic apparente, et hostium potentia exterritum, ad certamen cohortante) relatam victoriam, intra duos postremos vitæ Luitprandi annos collocando. Etenim ex ipsismet Historicis fit manifestum: † hunc Regem annum 742. in expeditione contra Spoletanum Ducem, et congressu cum Zaccaria Papa apud Interamnem, exegisse. Annum vero 743. qui supremus illi et Regni, et vitæ fuit, in nova expeditione contra Exarchatum Ravennæ: nouoque cum eodem Pontifice congressu.

Accedat, quod hic auctor huius hæresis Astenses insimulando, iniquius in hos se habet, quam Ballianus. Ballianus namque, et si eos, qui Astæ S. Evasium ad necem quærebant, et Autubalum, qui hanc illi intulit, pro Arianis habuerit, in hoc tamen se hallucinatum patenter deinde ostendit, dum fidem antiquorum Actorum

[Marginal notes:]
†. Pau. l. 6. c. ult.
idem l. 6. c. 16.
†. l. 3. de Reg. Ital. in Luitprando an. 713.
Paul. l. 6. Anastas. Sigon. Bar. ad eos annos.

(licet huic suæ opinioni adversari, intelligere posset) fideliter secutus, ipsius Sancti, et aliorum eius tempestatis mortalium dicta, factaque ita recitat, ut perspectum fiat, Idolorum cultum, tum adhuc viguisset: eosque ad quos ille prædicabat, quique convertebantur, cum ipsomet Autubalo (qui non ipsum Sanctum dumtaxat, sed sacros ministros, aliosque Centum quadraginta quinque ab eo conversos capite damnauit) eiusdem regionis indigenas, ac meros, et putos Idolatras: non autem Longobardos, nec Arianos extitisse. Hæc siquidem hæresis, non nisi post inhibitam per Constantini edictum, omnem molestiam Christi fidelibus in Italiam dimanauit, et a Longobardis in illam postliminio inuecta †. intra eosdem sese continuit. Hic verò auctor, iis omissis, ex quibus Lector errasse Ballianum cognoscere posset, Sanctum Euasium Beneuentanum eundem fuisse cum illo, qui Luitprando Rege sedit, ac sub eo ab hæreticis interfectum (spreta tot historicorum, imò eorumdem Actorum fide) procomperto non veretur tradere: sicque Astenses huius hæreseos condemnare.

† Ex epist. S. Greg. ad univers. Ital. Episcopos l. 5. c. 17.

Quoniam vero ad hanc calumniam luculentius diluendam, maximè conferet, si quemadmodum ex Actis S. Euasij Beneuentani perspectum fieri significauimus, illum fuisse primum nostrum Episcopum: et tempore Gentilitiæ persecutionis martyrem effectum: ac proinde non modo ante S. Ambrosium, sed circa finem tertij Seculi Astæ sedisse: ita alterum S. Euasium in octavo vixisse, ac sedisse Seculo, propriis argumentis demonstremus; istud breuiter hîc egimus.

Primum igitur argumentum nobis suppeditat vitæ Sancti Euasij, à Balliano editæ caput 4. In quo disertè traditur: in monumentis Sedulensis ecclesiæ haberi Luitprando Rege Astensem tenuisse sedem Episcopum Euasium dictum, et pro Sancto habitum. Secundum argumentum † diploma quo idem Luitprandus eidem S. Euasio, et successoribus suis, dedit, et concessit ciuitatem Sedulæ, cum vicis suis, idque anno Incarnationis 763. Tertium argumentum Nonalicensis chronici hæc verba. Huius ergo Regis temporibus (hoc est Luitprandi) † apud Forum vicum, erat S. Baudolinus, et in Episcopio Astensi Sanctus præerat Euasius Episcopus. Vbi notandum, Sancto episcopo Sanctum Confessorem præferri, ut significetur nimirum hunc illum tempore præcessisse. Floruisse autem Sanctum Baudolinum sub finem Regni Luitprandi ex † Paulo Diacono, et aliis exploratum habemus. Quartum, Monumenta †† Vercellensis ecclesiæ, quæ tradunt, Sancti Euasij hortatu, Luitprandum Casalis oppidum ædificiis auxisse, Palatio, quod illi in deliciis erat, ornasse: ac ipsum oppidum, Casale S. Euasii denominari voluisse.

† Relatum a Balliano c. 16. ex Tabul. Eccl. Casalen.

† Tom. 2. Historicor. Franc.

† Paul. l. 6. c. ult.

†† Catal. epp. Corbellini.

4

Ad Cap. IX.

Tametsi in chronologia nostra ob debitam à nobis Adm. R. Patri D. Philippo Malabailo observantiam, et eximias ipsius animi dotes placuit illius de primo Episcopo Astensi referre opinionem, et de praesupposito per Corium Episcopo, neutri tamen sententiae plena fide adstipulati sumus, ut clare demonstravimus, dum veriori candidiorum Auctorum, magisque communi opinioni assentientes, scripsimus Evasium Beneventanum Martyrem eo tempore vixisse, quo reposuerunt Marius de Vipera in vitis Archiepiscoporum Beneventi, Ballianus in eius vita, Episcopus Aiazza in Cathalogo Episcoporum Astensium, Io. Philippus de Ferrarijs in Cathalogo Sanctorum Italiae, Guilielmus Baldessanus in Annalibus Ecclesiasticis Sanctorum Pedemontij, Ludovicus ab Ecclesia in Historiis eiusdem Provinciae, Antiqua Chronica Novaliensis, Andreas du Chenè in 2. volumine Historiarum Galliae, Io. Baptista Modena in Hist. sua Vercellarum manuscripta, alijque Scriptores Sacri, et profani. Verum quia adversarius cui tot gravissimorum auctorum testimonia non satisfaciunt, nonnullis tantum ijsque levibus supranominati Patris Malabaili seductus argumentis, duos in eadem Ecclesia decoratos Episcopalibus infulis Evasios extitisse persuadere conatur, quorum uni martyrij palmam sub annum 290. alteri quidem quem cum Evasino confundit, et nos sub annum 802. vixisse censuimus Confessoris tribuit sanctitatem, videamus utrum adductae per supradictum Patrem rationes, reclamantes communi opinione, quam ex ijs infert possint elicere conclusionem

Primum argumentum est. Si rogatu Astensium à Romano Pontifice, ad regendam Astensem Ecclesiam missus est Evasius, ergo primus fuit illius Civitatis Episcopus, ergò multis annis vixit ante Regem Luitprandum. Huic argumento superiore capitulo satis, superque responsum est. Aliud quod prima fronte Achilles invincibilis videtur: hoc est. Si Sanctus ille ubi primum Astam venit, cum praedicaret, et in iis, quae ad curam pastoralem spectant exerceretur, à Gubernatore Cranio, aliisque qui in Urbe erant haereticis, tot, tantasque passus est persecutiones, ut in insulas Padi prope Sedulam profugere fuerit coactus, ibique ab Artubalo Gubernatore Sedulae pariter haereseos Arianae pedicis irretito, cum 145. suis Socijs gloriosam pro vera fide mortem subire non dubitarit; inde sequitur tunc temporis etiam Astae sectam Arianam viguisse, eiusque contagio infectos illius Urbis Gubernatores. Sed ex ipsius Luitprandi Epitaphio, et Sigonij Scriptis colligitur, eo Rege imperante, non solum Arianorum contra Catholicos, desijsse persecutionem, verum etiam tum temporis mirum in modum Catholicam fidem viguisse, qua ratione fieri potuit, ut Evasius procul a suo grege prope Sedulam ab eiusmodi haereticis cum tot Socijs

fuerit Securi percussus? Itaque si sic accidisse non potest, probabilius dicendum videtur, non ab hæreticis expulsum non occisum fuisse, sed ab Idolatris cum adversus Christianos persecutio sæviret, huic respondere possumus: quod quandoquidem nos neque scripseximus Evasium passum fuisse ab Arrianis persecutionem, nec ab hæreticis Astensibus mortem, ut adversarius verba nostra perperam interpretatur, non deberet ipse nulla iniuria lacessitus scriptis nostris affingere iniquitatem, et existimationem nostram aspergere tot maculis iniuriam. Imo non parum nobis devincti videntur Astenses, quod quam Ballianus, et alij Scriptores ipsis, vel saltem eorum culpæ tribuunt crudelitatem, nos eam in Oppidanos Sedulæ loci ab urbe Asta non parum dissiti, contulerimus; sed demus nos, ut ipse vult in hunc sensum intellexisse, sanè sacrilegium non est, aut capitale scelus referre, quæ tot auctores fide digni scriptorum suorum monumentis prodiderunt, tamen quia nobis legitima consequentia non videtur dicere, verisimile non est Sanctum Evasium cum tot circumstantiis occisum fuisse imperante Rege Catholico, ergò non ab hæreticis, sed Idolatris occisus est. Ideo dicimus, quod cum Rex ille Catholicus Arrianæ perfidiæ cervices succidisset, fieri potest, ut male sanæ illius Sectæ surculi captata nimirum occasione, vel cum Rex pellendis ex Gallia Narbonensi Sarracenis invigilabat, vel cum anno 739. sive ut ait Baronius anno 740. Gregorij Tertij Pontificis factus inimicus ratione Trasimundi Ducis Spoletani, percusso fœdere cum Leone Imperatore, a quo paulo antea per Universam Italiam severissimum exierat edictum, ne Imaginibus Sanctorum, aut Sacris eorum reliquiis ulla veneratio defferetur, qui numeroso milite collecto Romam ingressus capto Vaticano Templum S. Petri diripuit, et nonnullas Ecclesiæ Civitates occupavit: prodito veneno, quod in illud usque tempus in intimo cordis metu pœnæ celarant absconditum, facturos se rem Regi gratam arbitrantes, Sanctum, qui repullulantes errores comprimere cura, vigilantiaque; pastorali satagebat, Sedulam versus coegerint proficisci, ibique cum nutantem populum in fide Catholica confirmare niteretur; fuisse, non ut ait antiqua legenda cum Socijs capite plexum, sed a nonnullis Sicarijs, quos diabolica pestis infecerat crudeliter iugulatum.

Obiecta Capite IX. Illustrationis.

Pag. 46. lin. 23. Aliud quod prima fronte, Achilles invincibilis videtur, hoc est tempore Luitprandi, Arrianorum contra Catholicos desitisse persecutionem.

Resp. Non hic, nec unus, est in Clypeo, si bene legis, noster Achilles, sed primus, S. Evasium Beneventanum imprimum Episcopum a Papa, nedum expetitum, sed et electum, et consecratum. Alter Achilles: eundem, vigente

Cap. 15.

adhuc in Italia Gentilitio cultu vixisse, et in Gentilitia persecutione, martyrio cum Sociis coronatum. His verò duobus, † Appendix ad ipsius Acta simulque † Vercellensia monumenta tertium submiserunt Achillem. Nimirum, Ecclesiam, quam idem S. Beneventanus (prout eadem Acta tradmitur) eleemosynis Consulis regionis, et aliorum ad fidem conversorum, in insula Padi Comca dicta, aedificaverat; tempore Luitprandi, in ripa constitisse: Ac proinde tantum temporis inter mortem ipsius Sancti in ea sepulti, et regnum Luitprandi intercessisse, ut ea insula iam continens esset facta, iuxta illud Poëtae †: Tantum aevi longinqua potest mutare vetustas. Ac insuper tot casas ipso tempore intermedio, circa eandem ecclesiam extructas, ut ex iis coaluisset oppidum, quod Luitprandus Casale S. Euasii denominari voluerit: et ut Vercellentia † monumenta praeterea tradunt, alterius S. Euasii hortatu, Ecclesiae Vercellensi illud donauerit. Cum hoc igitur trino Achilli, si adeò fidens es animo, manus consere. Monstra, inquam, posse ista tria conuenire Sancto Euasio Rege Luitprando electo. Quid verò, si tertio Achilli iungatur Aiax S. Martyrologium scilicet Sedulense; enuncians, priorem S. Euasium cum Sociis capite damnatum, pro fide Christi: non autem pro fide Chatolica (uti dicit Auctor Chronologicae Historiae † prout eruditè expendit Illustrissimus Episcopus Albensis.

† Catal. Epp. Vercellen. Corbellini, in Cyrill.

† l. 3. Aeneid.

† In eod. Catal.

† Tom. I. Progr. Occid. Eccl. in fine.

Hinc contingit, quod Rex qui cum Zacharia Successore Gregorii in amicitiam redierat, non solum in homicidas acriter animaduerit, sed in ipsum Caudium Astae Gubernatorem, tum quod de facta Sancto persecutione reus esset, tum quod ut testatur Baldesanus, secretè cum Ducibus Sarracenorum conuenisset, qui occupato Niceae Comitatu per Tendam et Brigam in Dioecesim Astensem irrumpere moliebantur; decreueritque ut Palatium quoddam iuxta Sedulam, cui nomen erat Casale in memoriam gloriosi Martyris Casale S. Euasij deinceps denominaretur, et ad maiorem eiusdem Sancti venerationem Ecclesiae Astensi concesserit quicquid Sedulae, et locis finitimis possidebat, ut testatur rescriptum, cui cum haec verba inserta sint. Ego Luitprandus do, et concedo per hanc nostram confirmationis tabulam B. Euasio, et Successoribus suis quicquid &c. tum temporis Euasium non in huius vitae mari nauigantem, (ut auctor Clypei affirmat,) sed iam ad aeternae felicitatis portum appulisse apertè demonstratur. Siquidem eo tenore Reges, et Imperatores illorum temporum suas donationes concedere solebant, ut obseruatum est in diuersis donationibus Caroli ~~Comti~~ Calui, Othonis Tertij, Henrici Secundi Imperatorum Ecclesiae Vercellensi, in quibus eiusmodi verba leguntur. Donamus Sancto Eusebio, siue Sanctissimo Patri Eusebio, etiamsi Sanctus ille iam multis ante Saeculis Coelo victurus in aeternum, terris viuere desijsset. Itaque et circa tempus,

et circa genus mortis S. Euasij cessent partis adversariæ obiectiones, cum impetrante Luitprando vixisse cum citatis auctoribus affirmemus, eum esse de quo meminit Chronicon Novalicense, a cuius nomine Casale denominatum est, pro cuius veneratione Rex optimus cedulam Astensi Ecclesiæ concessit. Quid laborat Astensis auctor tot argumentis comprobare, quod nos ipsi confitemur. verum quia cum inficiari non possit duos eiusdem nominis Episcopos Astæ sedisse, viuentem tempore Luitprandi Euasium ostendere conatur, eundem esse, qui sub Euasini nomine subscripsit donationi factæ ecclesiæ Novalicensi per Carolum Magnum Imperatorem: utrum hoc veritati consonum esse possit videamus.

Ead. pag. 47. lin. 22. Non autem ut ait antiqua legenda, cum sociis capite plexum, sed a nonnullis Sicarijs iugulatum.

Resp. Auctori Clypei exprobras, quod a Balliano dissentiat in aliquibus, quæ acta ipsa cum tempore collata, docent, ipsi Balliano excidisse: tu vero in iis ipsis, quæ in Martyrum Actis principem locum tenent (nempe a quibus, qua ratione, et ob quam proprie causam, mors illis sit illata) conaris fidem eisdem Actis abrogare: ac tua commenta supponere. Qua in re præterea repugnas ipsi authori Chronologicæ

† Pag. 161. lin. 29. Historiæ. Nam † is hunc sanctum ab hæreticis ob fidem Catholicam interfectum dixit: tu vero a Sicariis, incerta de causa, iugulatum affirmas. Quin etiam non tantum eisdem Actis iniuriam infers, sed et iis Patribus, qui emendationi Romani Martyrologii, iussu Gregorii XIII. incubuerunt. Apud hos enim hæc acta tantam obtinuerunt authoritatem quod licet apud Maurolicum, Naucterum, Petrum de Natalibus, et alios authores, imo apud antiquum Romanum Martyrologium, S. Euasius sub prima Decembris coeteris sanctis adscriptus, Episcopus tantum diceretur, in Martyrologio tamen ita emendato, ex horum Actorum fide, Martyr asseritur.

Pag. 47. lin. 26. Hinc Rex in ipsum Caunium, quod de facta Sancto persecutione, reus esset, acriter animadvertit.

Resp. Commentum tuum istud est. Caunius namq;

† Cap. 12. iuxta huius Sancti Acti, seu potius † Appendicem (a qua una habemus quidquid de eodem Caunio memoriæ est proditum) longo tempore a morte ipsius Sancti in humanis fuit. Et adeo in ea non dicitur, Luitprandum in Caunium animadvertisse: ut imo diserte tradatur: Caunium favore Arianorum, ad regnum aspirasse: et Luitprandum numero militum longe inferiorem, cum eo congredi primum pertimuisse. Verum apparente ei Sancto Euasio, ut supra dictum est, eius promissis, et precibus confisum, cum Caunio

conflixisse: eumque cum maxima parte exercitus, cecidisse.

Quod autem hic dicitur, tunc fuisse Luitprandum militum inferiorem: adiici potest iis argumentis, quibus in Clypeo probatur, ab ipso Luitprando fuisse extinctos, vel Italia omnino exactos Arianos, in ipso initio Regni eius. Tunc enim dumtaxat hic Rex (qui firmato semel regno, omnium sui temporis potentissimus) fuit, dici potuit militibus destitutus. Cum namque ipsius parens † Asprandus, exercitu à Rege Baioariæ accepto de Ariperto II. victoriam reportasset: et tertio post mense fatis concessisset; eo exercitu in Baioariam redeunte, Luitprandus, Longobardis, qui universim Ariperto fuerant, haud satis confidere poterat. Unde militum numero inferior videbatur Arianis. Qui, Catholicis inter se pro Asprando, et Ariperto digladiantibus, sub Caunio eorum capite, et fortasse Alachimi filio, ex castris, † quæ idem Alachim in Alpibus Noricis Baioariis eripuerat; et in quibus Ariani, eorum exercitu à † Cuniberto cæso, suas sedes fixerant, erumpentes, tutò potuerunt Sebulam usque progredi, et illius expugnatione elati, in Luitprandum, et Chatolicos conspirare; uti traditur in supra memorata Appendice.

† Paul. 6. c. 35.

† Id. L. c. c. 14.

† Id. cap. 16.

Pag. 48. lin. 1. Tum quod, ut testatur Baldassanus, idem Caunius secrete cum Ducibus Saracenorum convenisset: qui occupato Niceæ Comitatu, in Diœcesim Astensem erumpere moliebantur.

Resp. ea, quæ de antiquis rebus scripsit Baldassanus ex illorum temporum auctoribus, aut ex ab eo perquisitis aliquorum subalpinorum tabulariorum monumentis libenter admittimus: non verò ea, quæ identidem, et satis temerè, coniectando, pro certis proponit. † Coniectura enim per se est fallax. Quod certè, vel in hoc ipso perspici potest, quod nunc ex eodem Baldassano affers de Caunio. Nimirum fuisse hunc Astæ Ducem; et cum Saracenis Niceam occupantibus convenisse. Siquidem, non Dux Astæ, † sed Arianorum caput in Appendice Caunius dicitur. Saraceni item non nisi anno 806. insulas, et littora Italiæ, ut narrat † Sigonius, infesta habere cœperunt; et anno 813. Niceam sunt adorti. Imò si credimus tuo Ludovico pag. 17. lin. 11. ea littora Saraceni anno 881. excursare orsi sunt, et anno 891. Fraxinetum occuparunt: hoc est 178. annis ab eo, quo Luitprandus cum Caunio conflixerat. Et re vera quando Saraceni ausi fuissent oram maritimam regni Luitprandi invadere nedum occupare, † qui ad primum nuncium profectionis eius in Gallias, ut contra eos à Carolo Martello expetitam opem ferret, repentina fuga sibi consuluerant? Non mirabitur tamen Scriptorum Baldassani æquus lector, hanc eum insimulandi hæreseos Astenses ansam arripuisse; ubi ex omnibus locis, quibus de Astensibus agit, perspicuè intelliget, ipsum in eos, ob qualem qualem illorum, uti opinamur, antiquam potentiam, diutiusque

† Hipp. Aph. 1.

† Capp. 12. 13. et 14.

† l. 4. ad ipsos annos.

† Paul. l. 6. c. 54. Aimoinus l. 4. c. 7.

servatam libertatem, regni ciuitatibus, utcumque concessam, eundem cum authore Chron. Historiæ, cumque Ludouico, et l'Oertio, liuorem imbibisse.

Jelum X. ead. pag. 161. lin. ult. Cuasius Secundus siue Cuasinus nominatus in donatione anno 783. a Carolo Magno Abbatiæ Noualiensi facta.

Non potest dici facta hæc donatio anno 783. cum legatur data in Palatio Ticinensi: et eo anno Carolus in Italia non fuerit. Nec etiam anno 801. prout notatum legitur in Historia Chronologicæ correctionibus; quia tunc in ipsa donatione Carolus non Patritium, sed Imperatorem, aut Augustum se nuncupasset: quippe qui præcedenti anno 800: a Leone Pontifice Occidentis Imperator fuerat coronatus. Affirmandum potius, datum ipsum diploma anno 774. quo Romæ Patritius Romanus (ut cum aliis ait Sigonius) vocatus Carolus, inde recedens, Papiam, et Desiderium in potestatem duxerat. Unde pro quinto argumento ad comprobandum, sub Luitprando, ac sub finem regni eius, vixisse alterum S. Cuasium, posset hoc diploma Caroli proferri. Nam cum ex data diplomatis ipsius Luitprandi, et ex Chronico Noualensi appareat; hunc S. Cuasium Luitprando Rege electum 38. annis, eam sedem tenuisse; nil prohibet, quin hunc eundem illum fuisse dicamus, qui diplomati Caroli legitur subscriptus. Si namque ex anno 778. anni 38. subducantur; ea electio dicenda erit euenisse anno 736. hoc est octo annis antequam fatis concederet Luitprandus. Huicque assertioni adstipulatur locus, quo hic Sanctus in ipso Caroli diplomate signum apposuit. Nimirum primo, ante quinque alios Episcopos, more scilicet in conuentibus Episcoporum usitato; ut potiori loco subscribant, qui prius ad Episcopatum fuerunt promoti.

Ad Cap. X.

Si Chronologiæ nostræ censor in correctioribus operis a Carolo Magno Imperatore anno 801. factam Abbatiæ Noualiensi donationem perlegisset, cuius autenticum transumptum, quod penes nos est factum ab Excellentissimo Senatu Taurinensi anno 1687. Regio sigillo firmatum et subscriptum Ripa Secretarius, inter correctiones promulgauimus, quod hoc Capitulo scripsit, calamo (ut arbitror) elabi non permisisset. Siquidem in ea Caroli donatione legens hæc verba: Volumus, atque nostra Imperiali auctoritate præcipimus, &c. et paulo inferius: Sed omni tempore Imperatoriæ sit tantum modo potestati subiectum, facile intellexisset Carolum, cum hoc privilegium concessit iam tum fuisse Imperatorem quod cum ante Natalem anni 800. non contigerit teste Baronio, nec ab illo tempore unquam amplius in Italiam redierit, eiusmodi donationem factam anno 801.

//

cum fuit Papiæ, necessario dicendum est: cumque huic subscripserit Cuasinus nomen diminutum ab Cuasio suo prædecessore, cuius ultima linea pag. 161. fecimus mentionem, sequitur eum licet iam prouectissimæ ætatis, esse non ponen quem Chronica Noualiciensis, Astensem Episcopum fuisse testatur tunc cum Rex Pippinus filium suum Carolum adhuc tenerum ad Luitprandum Regem mississe fertur. etenim quamvis hoc sub ultimos Regis illius dies contigisset, dicendum videretur Cuasium supra 60. annos Ecclesiæ suæ clauum tenuisse. Hoc etiam opinioni nostræ suffragatur, quod eidem donationi subscripsisse legantur Claudius huius nominis primus Episcopus Taurinensis, et Angarius, sive Ungarius Episcopus Cadurcensis. Illum Baronius, et Ambrosius Rusco libro cui titulus, Triumphus Catholicæ veritatis collocat sub annum 826, et Pingonius meminit sub annum 836. Hunc verò Joannes Chenutus in serie Episcoporum Cadurcensium sub annum 804. usque ad annum 836. quin et ipsum sæpius citatum Chronicon Noualicense, eiusmodi donationi a Carolo Magno post acceptam Imperii coronam factam fuisse confirmat, cuius hæc sunt verba.

Eo tempore B. Frodoinus volens testamentum ipsius Ecclesiæ renouare, quod q Abbo patritius de ipsa Ecclesia fecerat tempore Theodorici Gothorum Regis misit duos Monacho Agabertum scilicet et Gislaranum, ad Carolum Magnum Imperatorem, ut sibi suo Imperiali præcepto testamentum ipsum renouari concederet, qui benignè illi annuens cuncta quæ illum petiit impetrare uoluit.

Nec sane potuit apertius exprimi tempus supradictæ donationis, siquidem consentiunt et nomen Abbatis Frodoini, et confirmatio testamenti Abbonis, et titulus Imperatoris, quæ omnia in ea donatione exprimuntur. Quod autem nec Augusti titulum sibi dederit, nec Imperatoris, aliam causam non invenio, nisi quod fieri potuit, ut qui ex originali hanc donationem transumpsit eiusmodi titulum, vel omiserit mera incuria, vel ignoratione lectionis. Hoc tamen addam si criticus ille, et nimis accuratus censor in Gallicis historiis requisisset, quo tempore Regina Berta Caroli Magni mater e vivis excesserit, videlicet duodecim à Julij anni 783. scribere forsitan erubuisset factam anno 774. Novalesiæ ab eius filio donationem ex qua matrem Caroli iam vita functam esse manifestè colligitur.

Obiecta Capite X. Illustrationis.

Pag. 49. lin. 23. Eiusmodi donationem factam anno 801. cum fuit Papiæ, necessario dicendum.

Resp. Pedibus nunc in tuam sententiam eô libentius discedimus, quòd id quod dicit Ballianus de sede 38. annorum nequaquam intelligi debet de posteriori S. Cuasio: prout excidit nobis in Clypeo

decepto sententia Sigonii: qui existimavit, Carolum Patritiatus titulo ornatum anno 774. quo primum Romam avenit. In quo eum errasse, cognosci potest † ex epistola Adriani Papæ in Floriacensi bibliotecha relata iis verbis. Datum Kal. Ian. imperante piissimo Augusto Constantino anno VIII., et a Deo coronato Rege piissimo Carolo, anno primo Patritiatus. Nam annus octavus Constantini incidit in annum Incarnat. 787. quo Carolus secundo Romam venit. De primo igitur S. Evasio intelligendum fateor, quod dicitur de sede 38. annorum ut apparet ex ipsis actis.

† Par. ult. pag. 46. et 47.

Ibidem § 1. pag. 163. lin. 21. Alricus ab Astensibus Civitate expulsus, dum coadunatis copiis, ad eos coercendos accessisset, inita pugna, vulneratus interiit, ut ex Hermano Contracto.

Neque apud Hermannum, neque apud aliam quempiam authorem hunc Alricum leges civitate expulsum. Nec quisquam hoc sibi facile persuadebit de Præsule eo loco nato, ætatis propè decrepitæ, et sanctimonia venerabili, uti testatur Pingonius. Qui secutus Taurinensis ecclesiæ monimenta (dicto Hermani longè posterior, et tam dissito loco scribentis, hac in re haud dubiè præferenda) cum narrasset: †† anno 1027. Olricum Magnifredum Secusiæ Marchionem, Taurini et diem clausisse extremum et sepultum, subdidet: Ubi et Alricus Episcopus Astensis Olrici frater sanctimonia venerabilis. Non miramur tamen quod eum in acie cecidisse scripserit Hermanus Germanus historicus, cum hæc ipsa legantur apud auctores Italicos. Nam Sigonius agens de bello, quod Archiepiscopus Mediolanensis Arbertus, cum Laudensibus apud Motam, inter Mediolanum et Laudem gessit, hæc ait. Ex eo prælio Herbertus victus, Alderico Astensi Episcopo Amisso, excessit. Et Corius de eodem scribens bello: commettevansi continue guerre: in una delle valli fu morto Alderico Vescovo d'Asti. Verum tum hos, tum eos, qui hanc famam vulgarunt, æquivoco nominis deceptos satis constat. Etenim circa idem tempus, quo hic noster Venerabilis Alricus, cum opinione Sanctitatis Taurini excessit è vita, apud Mottam inter præliandum occubuerat alter Aldericus Episcopus, non quidem Astensis, sed Laudensis: prout memoriæ prodidit Ludovicus Cavitellus: qui hunc inter Laudenses Episcopos circa annum 1026. recenset.

†† In Augusta Taur. an. 1027.

Ad Cap. XI.

Hoc undecimo Capitulo admittit adversarius à Sigonio, et Corio affirmari in quodam prælio, quod ad Mollam inter Mediolanum, et Laudas anno 1026. (Sigonius tamen ait anno 1025.) inter Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, et nonnullos ipsius Vassallos commissum fuit Aldericum Episcopum

Astensem cecidisse, sed eos auctores dicit affinitate nominis fuisse deceptos, cum eodem tempore viveret alius Aldericus Episcopus Laudensis, cuius sub annum 1025. in Historia Cremonensi meminit Ludouicus Cavitellus, et posse fieri, ut qui in eo conflictu cecidit, Aldericus fuerit Laudensis, et sic nos errasse, cum pagina 161. lin. 21. Scripsimus Alricum Marchionis Manfredi fratrem, et Episcopum Astensem inito contra suos subditos certamine anno 1036. occidisse, asserens hunc defunctum eodem tempore quo desideratus est frater eius Manfredus, et cum eo Taurini, relicta sanctitatis fama anno 1027. tumulatus. Non inficiamur cognomines coetaneos et Alrico siue Alderico Astensi vixisse alios aliarum Civitatum Antistites, et inter illos Aldericum Episcopum Vercellensem, qui teste Sigonio Conradum Imperatorem anno 1027. corona donauit, et anno 1025. potuisse fieri, ut etiam Laudijs vixerit alter Aldericus, dicimus tamen et Alricum Episcopum Astensem, et Manfredum Marchionem eius fratrem adhuc aliquot annos post 1027. vixisse superstites, ut claré testantur nonnullæ donationes Abbatiarum, et Ecclesiarum quas ipsi eatm[?] exercerunt, et inter ipsas impressæ in Chronologia nostra leguntur illæ Caramaniæ anno 1028. et Sancti Iusti Secusiæ anno sequente, et donatio facta ab eodem Marchione Abbatiæ Sancti Solutoris Taurini anno 1031. et ideo allucinatum esse Pingonium cum dixit Manfredi mortem anno 1027. contigisse. Nec impedit quo minus Alricus Præsul integerrimæ vitæ (ut re ipsa fuit) et secundum Pingonium Taurini una cum fratre humatus subditorum suorum, ac Vassallorum pervicacia lacessitus ad arma, ut eos castigaret, iusto titulo confugerit, fueritque in ea acie ab iisdem superatus, et occisus, ut scribit Hermanus Contractus, qui licet Germanus sit, vixit tamen sub ea tempora, et rerum suo tempore gestarum fidelis habetur enarrator: et quamvis Episcopi nomen non exprimat, cum tamen nominans Astensem Episcopum, aperté demonstrat alium esse non posse, quam Alricum de quo loquimur; qui nimirum mortuus est inter annum 1031. usque ad annum 1036. quo anno pro ipsius animæ suffragio factas a Comite Berta eius cognata diuersis Ecclesijs inuenimus donationes. Hæc sunt verba Hermani.

In Italia minores milites contra Dominos suos insurgentes, et suis legibus vivere, eosq. opprimere volentes validam coniurationem fecere, ad quos coercendos cum primores adunati, pugnam inirent multi utrimque ceciderunt, inter quos Astensis Episcopus vulneratus interijt.

Itaque quandoquidem hinc colligatur Episcopum Astensem interijsse, cum anno 1035. navaret operam coercendæ, et subditorum suorum, et Vassallorum

coniurationi non debet Auctor Clypei suspectam, vel ambiguam habere Contracti autoritatem, tum quia in commisso ad Mottam prælio anno 1035. ut ait Sigonius, vel anno 1035. ut videtur innuere Ripamontius, qui cecidit, non potest esse Laudensis Aldericus, nam suscitati belli inter Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum et Laudenses, origo hinc promanarat, quod Heribertus Ecclesiæ Laudensi reclamantibus Civibus Episcopum nomine Ambrosium assignarat, qui testibus Sigonio, Ripamontio, et Moriggia in ea cathedra sedebat, cum ad illud certamen deventum est, tum quia eodem Sigonio scribere post Imperatoris Conradi ex Italia discessum anno 1035. insurrexerunt adversus Episcopos, et Lombardiæ Principes nonnulli populi, et inter eos Cremonenses non sine maxima sanguinis effusione, quibus de causis anno 1037. revocatus in Italiam Conradus in rebelles acriter animadvertit potuit etiam populus Astensis aliarum Civitatum vestigiis insistens præbuisse Contracto sic de se loquendi occasionem.

Obiecta Capite XI. Illustrationis

Pag. 52. lin. 19. Nec impedit, quominus Alricus subditorum ac Vassallorum pervicacia lacessitus, ad arma, ut eos castigaret, confugerit: fueritque in acie ab iisdem superatus, et occisus: ut scribit Hermanus Contractus. Hæc sunt verba Hermani. In Italia minores milites contra dominos suos insurgentes; et suis legibus vivere, eosque opprimere volentes validam coniurationem fecerunt. Ad quos coercendos, cum primores adunati pugnam inirent, multi utrinque ceciderunt: inter quos Astensis Episcopus vulneratus interiit.

Resp. Hermani equidem hæc verba sunt, ad annum 1035. sed quæ (bona tua venia dixerim) et non vere, et non satis sobrie te locutum esse ostendant. Non vere quidem, quia affirmas: Hermanum scribere: Alricum, pervicacia subditorum lacessitum, et occisum: cum tamen Hermanus, ut patet ex ipso textu à te hic allato, nec Astenses nominet, nec in agro Astensi Alricum occisum dicat: sed rem ita narrat, ut appareat, ipsum loqui de eodem conflictu, de quo Sigonius, et Corius, relati in Clypeo: et apertius (post † Arnulfum Mediolanensem auctorem huius erroris, et etiam aliorum circa eundem Alricum) Tristanus Calchus his verbis: †† Ordo erat militum, qui vulgo Valvasores dicebantur. Apud hos in primis conspirationes, et conventicula fiebant. Sed cum consilia non procederent, uno omnes agmine egressi, ad montana exeunt. Et Laudenses Episcopalis iniuriæ memores (quod Arbertus scilicet, Aldericum, ab eis in Episcopum electum, consecrare renuens, Ambrosium a se electum ~~consecrare renuens, Ambrosium~~ in eam sedem tyrannice intrusisset) ad eosdem egregiam manum iuvenum mittunt. Quibus occursurus Arbertus, quantascumque potest copias contrahit. Conflixere in loco, cui iam pridem Mali cognomen erat. Ingens pro numero, edita cædes. Inter

† Hist. M. S. ad an. 1035.

†† Ad an. 1035.

4

confectos cecidit Aldericus Astensis Episcopus. Cuius morte finitum bellum. Nam, et hi magno duce, et discordiam nutritore amisso, confusi: et illi duro adversario liberati, ad pacem convenerunt.

Hucusque Calchus, ita Contracto concinens, ut simul illum interpretetur, et se per errorem Astensem Episcopum dixisse Aldericum (cum Laudensem dicere debuisset) manifeste ostendat, interpretatur inquam, Contractum, per minores milites, Valvasores; per validam coniurationem, eam quam Laudenses cum Valvasoribus inierant, per primores adunatos ad eos coercendos, Arbertum, et Ambrosium, per Astensem Episcopum vulneratum et interemptum Aldericum. Si vero per errorem Astensem Episcopum hunc dixisse, indicat, dum subdit: adversario liberatos; Laudenses vero destitutos magno Duce, et discordiarum nutritore.

Ad an. 1025. fol. 30. pag. 2.

Hæc eadem narrat ti Ludovicus Cavitellus, cæteris utique præferendus, quod ex propriis loquatur, ex monumentis scilicet suæ patriæ. Et maxime dum dicit: Episcopum in acie occisum fuisse Oldericum à Laudensibus Episcopum factum. Additque Aripertum, Laude obsessa, et capta, Ambrosioque in sede Episcopali reposito, ad Conradum Cæsarem in Germania accessisse. Ex quo consequitur, hæc accidisse post annum 1028. quo Conradus Romæ coronatus Augustus, Germaniam repetiit.

Conuincens porro te minus sobrie locutum, dum hunc Oldericum apud Mottam occisum fuisse nostrum Oldericum affirmare perseveras: et simul lin. 3. pag. 54. hæc ipsis: potuit etiam Populus Astensis aliarum Civitatum vestigiis insistens, præbuisse Contracto sic de se loquendi occasionem. Nam primo si non Laudensis, sed Astensis, uti tu vis, fuit Episcopus ille, de quo agit Hermannus, loco ab Asta circiter 80. millibus distante interemptus; potuit ne redivivus exercitum in Astenses ducere, et ab eis iterum occidi? et sic præberi ab Astensibus occasio Contracto ita de eis loquendi? Multum vero minus videris sapere, dum ex eo, quod Astenses potuerant aliorum exemplum secuti contra suum Episcopum conspirare, tu omnino pro certo iterum ac tertio tradis; eos, teste Hermanno, in illum vere conspirasse, eumque in acie vulneratum occidisse. Et minus item; quod quia hæc facere potuerunt Astenses, tu eos defectionis, sacrilegii, ac parricidii reos haud dubitanter pronuncias ac si quidquid fieri potest, pro facto sit habendum. quid namque eiusmodi consequentia magis absonum à ratione?

Tomum XII. pag. 166. lin. 2. Gulielmus, qui expulsus a civibus suis, &c.

Non utique crimini, sed Catholicæ fidei zelo, et obedientiæ visibili militantis Ecclesiæ Capiti debitæ

istud Astensium factum ascribet, qui quomodo se res habuerit, intelliget. Inter Galliæ Cisalpinæ Ecclesiasticos, per ea tempora, Nicolaitarum, Simoniæ mixta hæresis irrepserat; hanque amplexatus hic Astensis Episcopus, non Gulielmus, sed † Girlemus dictus, suæ Ecclesiæ viris in Sacris constitutis, ut concubinas, sub nomine uxorum ducerent, et haberent permittebat. Ea de causa, a Summo Pontifice excommunicatus, quo in damnato contubernio licentius perseuerare posset, Cadalao Antipapæ præterea adhæsit. Hæc itaque ferre non ualens Ciuitas, Catholicæ Communionis semper tenacissima; ipsum Girlemum ex pastore Lupum factum, ne per eum a legitimo dirimeretur capite, e neue suo exemplo in eandem incontinentiam totum alliceret Clerum, sua Sede exturbat. Quæ ne gratis a nobis dicta quis putet, de excommunicatione in eum lata, hoc † Sigonij proferimus testimonium. Nicolaus verò concilio habito obstinatos Lombardiæ Antistites, Mediolanensem, Taurinensem, Hastensem, Vercellensem, Nouariensem, Brixianum, et Laudensem ab altari remouit. De lapsu verò eiusdem in Schisma, istud Maioli † Illud verò dolendum: fuisse quemdam Astensem Episcopum, cuius nomen meritò excidit, quod adversus Nicolaum II fuit Schismaticus. Codex M.S. Vaticanus. Hoc autem quod in M.S. Vaticano Codice notauit Maiolus, notare etiam licet in pluribus tum Bullis Romanorum Pontificum, tum Episcoporum Astensium diplomatibus; quibus confirmarunt donationes Monasterio S. Anastasii factas a diversis item Episcopis Astensibus. E † quibus licet unus fuisset hic Girlemus; ubique tamen eius supprimitur nomen: cum de coeteris omnibus fiat mentio: Ex quo coniicimus, cum in gratiam Henrici III. cuius exercitus ope restitutus fuerat, in schismate perseuerasse.

† Ipsius chirograph. in donat. facta S. Anastasio.

† L. 9. ad an[...]

† In M.S. [...] rebus [...]

† In Tabullar. eiusd. Monast.

Ad Cap. XII.

Adelasia Secusiorum Comes, mulier omni laudum genere dignissima, magni illius Manfredi Marchionis filia, quem S. Petrus Damianus in magni elemosynarii adducit exemplum, Petri, et Amedei Comitum Mauriane, et Marchionum Italiæ mater, Sancti Petri filia (sic eam Gregorius Sanctus ob eximiam eius pietatem nuncupauit) acerbiore vulnere non poterat sauciari, utpote quæ hæreticum, atque Schismaticum Episcopum Sedi restituisse dicatur. Non poterat inquam generosissimæ huic atque pijssimæ Principi (hoc apud Baronium, et Damianum honoris titulo decoratur) et consequenter Regiæ ipsius posteritati ab iniquo Censore inuri turpior infamiæ nota, quam hæreticorum, schismaticorum —

4

fautrix appellari. Adversarius fatetur Guilielmum, sive Gilermum (utroque enim modo reperitur) Episcopum suum a propriis Civibus expulsum, inde ab Henrico Tertio Imperatore Sedi suæ restitutum, hoc autem contigisse dicit, quod eum velut hæreticum Nicolaus Secundus Pontifex excommunicasset, quia nimirum cum aliis Lombardiæ Episcopis cuidam conciliabulo sub Guidone Archiepiscopo Mediolanensi suffragatus esset, in quo asserebatur licere Clericis loco uxorum habere concubinas, quodque quia in eo schismate ad extremos vitæ dies perseveraret, nomen ipsius sic permittente Deo penitus extinctum ad posteros non devenisset. Admittamus potuisse fieri, ut in adscriptum errorem Gilermus ceciderit Antistes; Dicimus tamen quod quemadmodum opera S. Petri Damiani et Anselmi Episcopi Lucensis Legatorum Apostolicorum, ut scribit Baronius sub annum 1059. pœnitentia ductus resipuit Archiepiscopus, sic etiam persuasu inclytæ, ac sapientis Adelasiæ, quam ut scribit Baldessanus, et ex sequenti Epistola colligitur dicti Legati rogaverant, non solum ipse Gilermus, sed et Cunibertus Taurini Episcopus, aliique Præsules Pedemontani, si non vivente Nicolao, saltem paulo post ipsius mortem commissum errorem abiurarint. Nec aliter contigisse potuit sub ea Principe, quæ divino cultu, salute Cleri, et Apostolicæ Sedis obedientia, nihil habebat antiquius. Cuius rei veritatem testantur locuples Abbatia Pineroli, Templa S. Mariæ, et S. Iusti apud Secusianos, S. Mariæ in Montecineritio, S. Bernardi in Monte Iouis, S. Laurentii Uliensis, S. Mariæ Revelli, S. Eusebii Salutiarum, S. Petri apud Taurinos, denique quamplurima alia loca, quæ vere Regali Principis huiusce munificentia extructa, aucta, atque locupletata fuisse non ambigitur. Testatur debita ipsius pietati, ac prudentiæ, nec non Comitis Amedei eius filii facta inter Gregorium 7. Papam, et Henricum 3. Imperatorem, qui Bertam præfatæ Adelasiæ filiam duxerat uxorem, reconciliatio, ut asserit ipse Gregorius in quadam Epistola, quam sequuntur Platina, Blondus, Sigonius, Ludovicus ab Ecclesia, P. Monodus, aliique non pauci. Non poterant igitur nec Adelasia, nec filius Amedeus illæsa existimatione Gilermi suscipere patrocinium, prout revera susceperant, et affirmat P. Philippus Malabaila, ut infra dicetur, nisi fidei Catholicæ verus assertor debitam Apostolicæ Sedi præstitisset obedientiam. Verum cum viderent, quod licet erroris admissi pœnitentia ductus ad saniorem doctrinam rediisset, nihilominus a suis Civibus propter inveterata Urbis, et Episcoporum dissidia excluderetur, donatis primum Canalis, et S. Stephani Castellis cum manu armata Sedi restituerunt. Quod egregium facinus quamvis à Pingonio, et Antistite Ayassa soli Amedeo Comiti attribui videatur, illo sic dicente: Gilermum Astensem (loquitur de Amedeo) a suis expulsum, Sedi restituit anno 1070. et iste Gilermus ab Astensibus expulsus, ab Amedeo Comite Sabaudiæ Sedi restitutus sedit annos 17.

Sed cum unanimi matris, et filii consensu tum temporis Imperium regeretur, quid vetat, quominus iure legitimo matri possint attribui quae gesserat filius, et contra: quin ipse Amedeus teste Ludovico ab Ecclesia ex nomine matris Adelaus interdum apud Scriptores, et praesertim a Blondo, et Palatina appellatur. Itaque si hunc Episcopum, sive illum mater, sive filius sedi restituerint, desinant mordaces obtrectatorum linguae pertinacem haereticum nuncupare, nisi velint eiusdem infamiae notam optimis Principibus inurere, à qua quam remoti fuerint testatur sequens Petri Damiani ad Adelasiam Epistola, cum eius operibus impressa.

Adelaidae Excellentissimae Duci Petrus Damianus. Quid quid de castitatis iniuria, quam eadem Regina virtutum à clericis patitur venerabili Taurinensi Episcopo scripsi, tibi scribendum ante decreveram, nisi eorundem clericorum insugillantium calumniam formidassem. expostularent enim, ac dicerent. Ecce quam impiè, quam inhumanè tentat nos iste confundere, qui non cum Episcopis, non cum Ecclesiasticis viris, super nostro negotio cautè vult, ac modestè disserere, sed quod in Sacrarium tractandum erat, non veretur foeminis publicare. Hoc itaque metuens personam mutavi, et quod tibi conceperam, illi potius destinavi. Ille tamen unius Ecclesiae Cathedram tenet in ditione vero tua, quae in duorum Regnorum Italiae scilicet, et Burgundiae porrigitur non breve confinium plures Episcopantur Antistites. Ideoque non indignum videbatur ut tibi potissimum de Clericorum incontinentia scriberem, cui videlicet ad corrigendum idoneam censeo non deesse virtutem. Praesertim quod ad laudem Dei dixerim, et utile robur ferri regnet in pectore, et ditior sis bona voluntate, quam terrena potestate. Unde quia iuxta poetae gentilis eloquium. Opus est huic tutore, quem defensorem paro, hortor, et peto, ut tu Domino iungaris Episcopo, quatenus mutuae virtutis fulti munimine, strenuis in Christum Luxuriae valeatis aciem debellare. Sed cum vos considerare ad praelium contra Diabolum studeo, illud mihi bellum, &c. De Ecclesiis autem quae tibi adiacent admonerem, ne more pravorum quorumlibet divitum, earum bona minueres, sed cum te praesente, plures nobiscum colloquerentur Episcopi, Monasteriorum Rectores, nullus eorum fuit, qui vel à te, vel à tuis procuratoribus ullam sibi molestiam conquereretur inferri, praeter Aquensem Episcopum, qui tamen non a te sibi de suis aliquid imminutum, sed conquestus est potius Ecclesiae suae nihil ex tua liberalitate collatum. Faelix inquam dives hoc temporis cui susurrones convicanei hoc solum valent crimen inferre. In Fructuarensi certè Monasterio ubi per decem ferè dies hospitium tenui, quam humanus, quamque suavis tuus Principatus esset Ecclesiis evidenter agnovi, ubi nimirum ita securi sub tuae protectionis umbraculo Deo deserviunt Fratres, ac si sub maternis alis pulli confoveantur implumes. et quam convenienter illi loco Fructuariae est nomen impositum, quod non

humani sensus industria, sed diuinæ credimus dispositione prouisum. Nam qui Efraim interpretatur fecunditas ille proculdubio mons est Efraim ubi nimirum veri Israelitæ consistunt, qui dum arua Mentium assiduis sacræ scripturæ sententiis quasdam quibusdam legionibus excolunt uberes illic spiritualium segetum prouentus erumpunt, qui cœlestibus horreis angelitus inferuntur, &c. Et quia te novi de iterata coniugij geminatione suspectam: tentatus a Saducæis Dominus de muliere quæ septem fratribus fuerat nupta, cui foret illorum in resurrectione præ cæteris iudicanda, sic respondit. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Coelo. Nam si multiuiræ ad regnum Dei nullatenus pertinerent, nequaquam hic veritas responderet, erunt sicut Angeli in Coelo, sed potius diceret, qui erunt sicut maligni Spiritus in inferno, &c. Omnipotens Deus te, ac tuos Regiæ scilicet indolis filios benedicat, eosque non modo ad cœtaris, sed etiam Sanctitatis incrementa perducat. &c.

In huius Epistolæ confirmationem, et ut meridiana Luce clarius pateat ex quo resipuerat Episcopus Gilermus Imperatoris Henrici partes secutum non fuisse, ipsa Baldessani verba referemus: Dal tenore della Lettera di Gregorio Papa scritta nel primo anno del suo Pontificato in fauore Pontificato in fauore dell'Abbatia di Pinerolo si raccoglie che li trè sovranominati Vescovi cioè di Torino, d'Asti, ed' Acqui in quella generale Apostasia de Vescoui Lombardi nella ubedienza di Gregorio erano restati saldi, ne potè Enrico tirarli dalla sua ne con doni ne con minaccie, come aueua fatto agli altri, rompendo le sue pratiche. La zelante Contessa Adelaria per si fatte ragioni singolarmente amata, e rispettata da Gregorio.

Quinimo ut fidem facit Tristanus Calcus Historicus Mediolanensis, tanta erat pietate incensa hæc Princeps in S. Sedem Apostolicam, ut intelligens grauas contentiones inter Ciues non tantum Astenses, verum etiam Papienses fuisse exortas circa electionem Episcoporum illarum Ciuitatum, sua auctoritate, ac dexteritate effecerit; ut compositis dissidiis, expulsis Episcopis ab Imperatoribus missis, ij elegerunt, quos Summus Pontifex Romanus ad regimen illarum Ecclesiarum constituerat. Quod cum hic Gilermus de quo sermo est, intimus familiaris esset eiusdem Adelaidæ; dicendum est, eum non hæreticum, neque schismaticum, sed Catholicum, et legitimum Episcopum fuisse. Sed quid nos huius Præsulis, et consequenter Serenissimorum Principum matris, et filii innocentiam adductis exterorum testimoniis vindicare laboramus. Pater ipse Philippus Malabaila patriæ suæ propugnator acerrimus in Compendio Historiali Astæ impresso sub nomine Comitis Guidonis Antonij fratris sui, scribit hunc Gilermum pulsum fuisse, non quod

schismaticus, aut sacris interdictus esset, sed quod urbis, et suorum Civium dominium affectasset, et primum ab Amedeo Comite, inde ab Adelasia, quam ignorans eiusdem Amedei Comitis fuisse genitricem, Henrici Imperatoris nominat affinem Sedi restitutum. Hic pater relatis Episcoporum in Urbem et Cives pratensionibus, adductaque cuiusdam Raymondi Turchi auctoritate, quem tum temporis vixisse affirmat ita subiungit.

Con tale occasione dunque avendo il Vescovo Gilermo tentato farsi Signore d'Asti, et essendo perciò stato scacciato, ricorse ad Amedeo Conte di Savoia, offerendoli di cederli le sue ragioni se lo vi rimetteva: ma il Saggio Prencipe condottosi sotto Asti con la sua gente doppó qualche incontro, abboccatosi con li Cittadini, ed da essi informato, fece sì che si contentarono di rimetter il Vescovo, con condittioni però ad esso poco grate onde lasciato il Conte, ricorse a certa Contessa Alasia parente dell'Imperatore Enrico III., la quale venuta con potente esercito, prese la Città, ed avendovi rimesso il Vescovo, pretese in virtù delle ragioni da lui cedutele, signoreggiarla.

Obiecta Capite XII. Illustrationis.

Pag. 6. lin. 1. Gullielmum, non quid Schismaticus esset civitate pulsum.

Resp. Quod hic Gullielmus Nicolaitis, et Schismaticis adhæreret author Clypei nequaquam ex se protulit: sed verba Sigonii, et Maioli è Romano Regesto accepta, ex fide retulit. Id vero in Compendio Historiali Astensi prætermissum consulto fuit: ne scilicet Astensis Sedes hoc nævo aspergeretur: nulla necessitate id exposcente: prout accidit Scribenti Clypeum; ut crimen rebellionis, et violationis proprii Episcopi, suis Civibus perperam obiectum, dissolueret.

Tehim XIII. pag. 167. in Ottone lin. 3. Ab Astensibus paulo post expulsus, à Comite Amedeo Sabaudiæ anno 1137. Sedi restituitur

Inter hunc Ottonem, et cives exortam discordiam, fatemur: expulsum eum, et restitutum, negamus: cum nequaquam istud ex illo necessario consequatur. Nec auctori suffragari potest authoritas Pingonii, cum †. hic ista se accepisset significet, ex Venturæ Notis; Venturæ † In Aug. Taur. an. 1137.
vero hæc sint verba: †. Anno 1137. facta est magna discordia
inter Episcopum Astensem, et Cives Astenses: et capta fuit
civitas Taurinensis ab Amedeo Comite. De expulsione Episcopi,
ne verbum quidem, sicuti nec Alferius. Qui ita scripsit †. † In Mem[orialibus] ad ips. ann.
Anno 1137. facta est contentio, et discordia magna inter
episcopum, et ecclesiam Ast. ex una parte, et cives Astenses
ex altera. Cum igitur, nec hic, nec Ventura à Pigonio

† De Antiq. actis Longob.

citatus, eiectionis mentionem faciat, utique dicendum conjecturam pro re ipsa supposuisse Pingonium (quód huic auchori familiare fuisse †. ex Patris Monodi Summario Historico, de Sacræ Sindonis translatione percipere licet) et quod de Ciuitate Taurinesi dicit Ventura, ipsum de Astensi perperam intellexisse. Adde: non iam tunc facilis negotii fuisse, Episcopum Astensem e sua Sede pellere: cum ea in Castro (quod ideo Episcopi dicebatur) consisteret, et Girlemus eidem Sedi restitutus, illud ita munisset: ut in eo deinde, inuitis licet, et ægrè ferentibus ciuibus, tutus egerit.

†. In Sind. Euangelica Agasini Ep.

Ad Cap. XIII.

Necessaria est viro præsertim mendaci, ne sibi contradicat antedictorum recordatio, sed eiusmodi facultas in Auctore Clypei non reperitur; siquidem aliud stans, aliud sedens inconstanter effutit. Cap. XI. velut irrefragabilem, et omni exceptione maiorem Pingonium adducit, hic eundem damnat velut infidum relatorem in eo quod asseruit Othonem Episcopum a suis expulsum ab Amedeo Comite Sabaudiæ anno 1137. Sedi fuisse restitutum, admissis tamen quæ inter Ciues, et eorum Episcopum exortæ fuerunt dissentionibus. Sed quam infert Regiæ Sabaudorum Principum prosapiæ non animaduertit iniuriam, dum conatur illis adimere gloriam, quam omni tempore depressos á proprijs Subditis Episcopos non minus pié, quam fortiter subleuantes, nomini suo compararunt. Negat Auctor expulsionem, et consequenter Othonis illius restitutionem, affirmans eam Castelli robore potuisse impediri: cumque nec Alferius, nec Ventura uterque Astensis, de exortis inter Episcopum, et Ciues discordijs disserentes de illa fecerint mentionem, admittendum esse eiusmodi expulsionem a Pingonio non veré præsumptam. Quasi vero gesti alicuius enarrator, omnia quæ inde successerunt adamussim referre teneatur. Numquid quemadmodum quamplurimi alij huius Othonis præcessores, et nonnulli Successores, licet hoc Castello potirentur ab hoc inquieto populo (quem auctor ipse Clypei alibi tunc numerosissimum fuisse testatur) fuerunt expulsi potuit, et hic vel dum in Templo Diuinis Officijs vacaret intentus, vel extra Ciuitatem, dum visitando Gregi vel aliis sui officij negotiis incumberet, á suis Ciuibus iniqua violentia de Sede sua deturbari? Sed etiamsi vel unius Pingonii auctoritas, nos, licet in aliquo hallucinati essemus satis tueri posset, ne tamen nobis obijciatur, quod dictum unius, sit dictum nullius;

quod alii de hac re scribentes iudicarint videamus. Ludouicus ab Ecclesia de Comite Amedeo disserens, sic scribit: Hebbe parimenti guerre con la Città d'Asti, i cui popoli avevano cavato Othone loro Vescovo, e si legge che nel 1137. esso Amedeo per restituire il Vescovo espugnò la sud.ta Città, e rimesse il suo Vescovo nella sua sedia. Franciscus Vcersius in quarta parte Historiarum Clarasii de eo Amedeo loquens sic ait. Fece guerra alla Città d'Asti, ch'aveva discacciato Othone suo Vescovo rimettendolo nella sua sedia. Si igitur his testibus scripsimus lin. 3. pag. 167. de Othone II. loquens ab Astensibus paulo post expulsus, à Comite Amedeo Sabaudiæ anno 1137. Sedi restituitur, quare id negat adversarius? quare Regiam Sabaudiæ domum hac laude privare contendit?

Obiecta Capite XIII. Illustrationis.

Pag. 60. lin. 22. Necessaria est viro mendaci ne sibi contradicat, antedictorum memoria Auctor Clypei velut irrefragabilem, Capite XI. Pingonium adducit: hic eundem damnat, velut infidum relatorem.

Resp. adeone authorem Clypei iniuriis impetere delectaris, ut non intelligas, hac in re, nedum auctores omnes, qui ex alienis scriptis aliqua quidem, ut vera, et probata seligunt; aliqua vero, ut minus certa, aut veritati haud consona aspernantur; verum etiam te ipsum mendacii damnare? Nam si quis ex hoc constituitur mendax, mendax certè, et tu es dicendus: cum hoc ipsum eiusdemmet Pingonii respectu, tu facias. Siquidem hoc loco, cum pro veridico vis haberi: pag. vero 686. lin. 97. pro mendaci: quia ad annum 1166. +. tradit Astam et Cherium devastatas fuisse a Federico I. quòd Sabaudo Comiti contra illum suppetias tulissent. Existimare igitur potius debueras: Auctorem Clypei nequaquam pro mendaci habuisse; Pingonium: sed censuisse eum non satis memorem verborum Venturæ Cea cuius Notis ipse Pingonius indicat se accepisse ea quæ nos in Clypeo allato Venturæ textu, confutavimus) Astam pro Taurino, ab Amedeo captam dixisse. Cuius errorem haud miramur aucupatos Ludouicum, et Vcersium, compendiis Astensibus perpetuò intentos.

+. In aug. Taur.

Pag. 61. lin. 6. Sed quam infert Regiæ Sabaudorum Principum prosapiæ, non animadvertit iniuriam.

Resp. Iniuriam potius eidem Regiæ prosapiæ auctor Clypei intulisset, non verum facinus Amedeo Comiti tribuendo: quasi non satis veræ laudis iis Principibus suppetat: ac proinde falsa indigeant, vel certe fucata. Cuiusmodi est ea, quam in calce suæ chronologicæ Historiæ eidem Amedeo illius author tribuit exhibendo documentum

publicum confectum coram Eugenio Papa III. ad ostendendam uti praefatur, pietatem Sabaudicae familiae erga Ecclesiam: et apposita in margine manu cum indice extento.

Item XIV. ead. pag. lin. 8. Nazarius a Civibus civitate expulsus, quasi totam civitatem incendio succendit.

Hic rursus male; ex dissidiis exortis inter Episcopum et Cives expulsum Episcopum in consequentiam trahitur: cum nullibi eiusmodi eiectionis habeatur mentio: et potius ab ipso Clero e domibus suis coactos exire Cives, immo ipso illis igne, doceant haec Alferii verba: + Anno D. 1143. Idus septembris, civitas destructa fuit incendio quasi tota, per Nazarium Episcopum Astensem et Ecclesiam Ast.

+ In Memoriali ad ips. ann.

Ad Cap. XIV.

Combustam, et destructam ab Episcopo Nazario suam Urbem non inficiatur Astensis Scriptor, sed culpam in Episcopum, et Clerum eius conferens, nullam huius facti causam adducit. Quae igitur ratio virum Ecclesiasticum in altissimo perfectionis gradu constitutum potuit impellere, ut nulla habita viduarum, orphanorum, aut pupillorum ratione, in proprium gregem insurgens, suam Urbem devastaret, nisi gravis aliqua culpa. Sed posito casu, quod Episcopus privato furore concitatus in aliquos sui nominis hostes saevire potuerit, probabile videri non debet ob pauciorum culpam, totam Urbem eversam fuisse, ut ipse scribit Alferius ab Episcopo factitatum fuisse. Sed quod maxime mirum est, verisimile est tam gravis excessus executores fuisse viros religiosos inermes, et pios, qui cum plerique omnes vel ex Urbe, vel ex Diocesi essent, credibile non videtur eos ad explendam Episcopi (qui alienigena esse solet) libidinem voluisse in suos consanguineos, et Concives tantam crudelitatem exercere, nisi gravibus iniuriis lacessitos. Dicamus igitur populum Astensem ab Episcopo suo tam gravi poena vapulasse, non alia de causa, quam rebellionis, ut innuere videtur Pater ipse Malabaila, dum scribit: Nel seguente Secolo poi il Vescovo Nazario rinouando ~~il di Giliberto~~ di Gilermo le pretensioni così concitò il Clero, & che per opera loro fù dimnouc la Città abbruggiata. Nec in puniendis Astensibus solo Cleri brachio usus est, qui nec expeditioni idoneus, nec expugnandae Urbi tum temporis populo referrae par esse poterat. Hinc in confirmationem eorum, quae scripsimus lin. 8. eiusd. paginae 167. Nazarius a Civibus Civitate expulsus, recuperata Sede, quasi totam Civitatem incendio succendit, videre est in Scripturis DD. Solariorum privilegium eiusdem Nazarii concessum incolis Pouoni, quod in recuperanda Urbe Astensi auxilium praestitissent.

Obiecta Capite XIV. Illustrationis.

Pag. 63. lin. 6. Dicamus igitur, populum Astensem ab Episcopo suo, tam gravi poena vapulasse non alia de Causa quam rebellionis.

Resp. Dicere quidem potes, quodlibet, quia sermo datur cunctis, non autem sapientia. Quæ iuxta te Sapientis placitum, non intrat in malevolam animam; qualem tu præ te fers erga Astenses, tum toties alibi, tum agendo de diplomate Conradi II. quo Astensibus concessit ius signandæ pecuniæ. Nam cum fatearis pag. 643. lin. 28. te illud perlegisse, ac proinde cognoveris, haberi in eo ista verba. Ea propter vobis Astensibus, ob fidei vestræ studium et obsequii propositum authoritatis nostræ regali munificentia ius faciendi monetam in civitate Astensi donamus; ad honorem et decorem civitatis, et usum civium, omnino profuturum: non erubuisti tamen ista proferre. † Possemus itaque dicere: Monetam Astensem non à civibus, sed ab Episcopis cusam fuisse: eo plané modo, quo libræ, et Solidi Secusini et Turonenses non à Civibus illarum Civitatum: sed à Marchionibus, et Regibus cudebantur; licet Secusini, et Turonenses dicerentur. Unde non mirum scilicet ex eiusdem diplomatis verbis apparcat, Astenses uni Regi debito fidelitatis fuisse obligatos, hoc est illi uni immediaté subditos; tu tamen nihilominus Episcopum Civitatis dominum, civesque illius rebelles vocitare pergas. † Sap. 1. † pag. 64. lin. 27.

Neque vero ex illis compendii Historialis verbis: Nazarro rinouando di Gilermo le pretentioni &c. inferre potes, significari Episcopum dominium obtinuisse Civitatis: cum aliud sit aliquid prætendere, aliud illud habere: Et (si bene legis) Gilermus ansam arripuisset prætendendi hoc dominium, ex munere sibi demandato Missi Regis, maioris utique authoritatis, quam Comitatus. Quamquam etiam huius occasione exorta fuisse inter Episcopum, et Cives illa dissidia conijcere licet.

Telum XV. ead. pag. lin. seq. Graviquè pœna rebelles coërcuit.

Quamquam per summam sané calumniam, rebelles dici Astenses, suapte sponte consequens fiat ex Cæsareis diplomatibus; quibus probavimus, nullum unquam dominium Astensem Episcopum in ipsam Civitatem obtinuisse: locus tamen monet, ut illud quo Corradus II. ius signandæ pecuniæ Astensibus permisit, rursum allegemus. Nam præterquamquod ipsummet, tam insigne privilegium, (non quidem Episcopo, sed Astensi civitati, quemadmodum et Genuensi, concessum) veluti etiam huius diplomatis iam supra allata verba firmissimo sunt argumento, hanc Civitatem uni Imperatori tunc subiectam, ac inprimis obsequentem fuisse: ipsummet tempus, quo datum fuit istud diploma (tribus scilicet annis dumtaxat, ante illud incendium á Nazario excitatum) nullum locum reliquit, vel suspicandi, contentionis, quæ ad tantum nefas Episcopum

clemenque impulit, in causa fuisse affectatum ab istis temporale dominium: aut proinde cives uti defectiones reos, quod facit hic auctor, criminandi.

Ad Cap. XV.

Cum satis, superque praecedenti Capitulo demonstraverimus Astenses tam acriter ab Episcopo Nazario plexos fuisse non aliam ob causam, quam defectionis. Cum non soleant Principes, et multo minus ecclesiastici (ad quos praecipue pertinent pietas et clementia) suas proprias Urbes nisi rebellionis reas depopulari, ut fertur fecisse Nazarius, huic Capitulo non conabimur aliud adferre responsum, hoc solummodo dicentes, contentiones, quae primum inter Cives illos, et Othonem p. illorum Antistitem, exortae, sub hoc Nazario continuatae, Civitati maximam perniciem attulerunt, hinc esse profectas, quod nimirum Astenses, partis divitijs intumescentes, Imperatoris Henrici rescripto, quod Episcopo Othoni 3. concesserat (ex cuius meminit auctor Clypei Cap. 3.) pertinaciter obstiterunt, cuius auctoritate non solum omnes aliorum Imperatorum donationes, ecclesiae Astensi concessae confirmabantur, verum etiam restituebatur quidquid in ea Civitate possederat praefata Adelasia, tum virtute iurium, quae ab Episcopo Gilermo acceperat, ut fatetur Pater Malabaila loco supracitato, tum propriorum, et ad se spectantium, quod esset unica filia, et haeres Manfredi Marchionis Secusini, quem Sigonius Astae Marchionem nominavit, et quo facilius ecclesiastici temporalis dominij iugum excuterent, inscio, et absente Episcopo non exiguis imo maximis pecunijs a Corrado 2. Rege cudendae monetae facultatem obtinuerunt, quae postmodum dicta est librae, solidi, et denarij Astenses, nisi forte falsum sit privilegium eiusmodi, quod auctor Clypei ait anno 1040. et anno secundo Regni ipsius Conradi concessum fuisse. Nos autem habemus transumptum ipsius ab Alferio iam à trecentis annis registratum, sub annum 1141. et quarto anno regni: possemus itaque dicere eiusmodi monetam Astensem non à Civibus, verum ab Episcopis cusam fuisse, eo planè modo quo Librae, et Solidi Secusini, et Turonenses non à Civibus illarum Civitatum, sed a Marchionibus, et Regibus cudebantur, licet Secusini, et Turonenses dicerentur; in hac tamen re sit suus locus veritati.

Obiecta Capite XV. Illustrationis.

Pag. 63. lin. 23. Cum satis superque praecedenti Capite demonstraverimus, Astenses tam acriter ab Episcopo Nazario plexos fuisse, non alia de causa, quam rebellionis.

Resp. Blatera quantum libet Magisterule. Certe nisi proferas novum aliquod diploma Corradi II. quo intra annum 1140. et 1143 dominium Civitatis uni Regi fidelitatis

debito arctius obstrictæ, de iure Regni abstulerit: et in Astensi Episcopo subiecerit, pro aperto criminatore, et iniquo impostore iure merito habebenis.

Pag. 64. lin. 8. Henrici rescripto, non solum omnes Imperatorum donationes Ecclesiæ Astensi confirmabantur.

Resp. aperti commenti saltem, te arguit ipsummet Henrici III. in gratiam Ottonis Episcopi, datum diploma. Nam in eo nec alicuius donationis confirmatio, nec alterius diplomatis, aut cuiusquam Imperatoris mentio habetur. Imo nihil omninò in eo donatur Ottoni, præter Comitatum infra Astensem Episcopatum (de quo iam supra disseruimus) et eiusdem Episcopatus consecrationem. Quæ postrema verba aliis interpretanda relinquimus: cum maximè subdatur: Sicut illum habuit, et tenuit Adelaidis Comitissa beatæ memoriæ: unum annum ante diem obitus sui salva nostra iustitia. ex quibus omnibus apparet, pro vanis commentis esse habenda ea, quæ tu hic ita subdis. Verum etiam restituebatur (Astensi Episcopo scilicet) quidquid in ea Civitate possederat præfata Adelasia, tum virtute iurium a Gullielmo cessorum: tum propriorum: quod esset unica filia, et hæres Manfredi. *pag. 64. lin. 12.

Telum XVI. ead. pag. lin. 11. in Anselmo. Hic pariter dissidiis, et odiis, inter Ecclesiam, Astensem, et Cives exortis, a sede eiicitur.

Sextus hic Episcopus est, quem author, ut Astensibus refractariorum, violatorumque suorum Præsulum, ac sacrorum anathematum contemptorum opinionem conflet, è sua sede extorrem facit. Sed sicut de cæteris (uno dumtaxat hæretico Girlemo excepto) hoc non verè dictum ostendimus, ita etiam asserere audemus: id quod exortis inter Astenses cives, et eorum Ecclesiam, dissidiis et odiis nunc dicitur, merum esse commentum: cum nil tale apud alium quemquam legatur Auctorem: et iam præteritorum dissidiorum sublata esset occasio: Regalia scilicet (et huic et illis olim concessa) vendicandi studium. Ex iis namque, quæ de Federici gestis memoriæ sunt prodita, perspectum sit, eundem Imperatorem, tum hanc, tum cæteras Lombardiæ Civitates, quæ sub nomine Communium rempublicam administrabant, pro vendicandis Regalibus, quæ non legitimè alienata ab antecessoribus dictitabat, per multos annos divexasse.

Potius igitur dicendum: Anselmi animum ab eisdem Civibus abalienatum eadem de causa, quæ Marchionem Montisferrati ad instigandum contra illos eundem Ænobarbum permovit: prout hæc Alserii indicant verba*. Anno 1155. Kal. Feb. Civitas Astensis destructa fuit incendio quasi tota, per Imperatorem Federicum I. ad instantiam

*In Memor. ad eum an.

Anselmi Episcopi Astensis, et Gullielmi Marchionis Montisferrati. Quia scilicet cum Federicus ipsum Anselmum, ac deinde Montemferratensem Astam delegasset, Astenses veriti, ne per eos, contra foedera cum prioribus Italiae Regibus inita, non tam concessis, quam pretio comparatis regalibus privarentur; utrumque eo nomine admittere recusarunt. Atque hoc est, quod Frisingensis significare voluit dicens: † Oppidani Cairae, simul et Astenses Cives, eo quod praecepto Principis de exhibenda iustitia Marchioni suo Gullielmo de Monferrato (ac uti de Astensibus addit † Ligurinus, suo Episcopo Anselmo) minime paruissent: tamquam rebellionis rei, et hostes iudicati. Verumtamen non quidem rebellionis reos propterea dicendos Cairenses, seu Astenses iuxta Frisingensem (qui utpote Friderici patruus, ipsius quantumvis inhumana facinora, honestare conatur) sed potius pro perfido tyranno habendum eumdem Fridericum, cum aliis † Historicis Gaudentius Merula his verbis affirmare non dubitavit †. Erat Rubrobarbus lingua, studiis, moribusque ipsis, plane barbarus: hoc est ignavus, perfidus, ferus, implacabilis. Huiusce rei indicio sunt certissimo, contra ius gentium, vastatae urbes opulentissimae Asta, Werthon, Cherium, Lumellum, et Spoletum. Additque Gaudentius: ab hac illius perfidia, Mediolanenses contra ipsum arma capere, variroque eventu saepius dimicare compulsos. Quod etiam aliae Civitates sine rebellionis nota, unanimi consensu, praestitere.

† de Gestis Friderici c. 16.

† In suo Poemate sub init.

† Baron. ann. 1160. n. 35. 1164. num. 45.

† De Gallia Cisalp. l. 2. cap. 9.

Ad Cap. XVI.

Quamvis ad confirmationem eorum quae diximus pag. 161. lin. 11. Hic pariter dissidiis, et odiis inter Ecclesiam Astensem, et Cives exortis, a Sede eiicitur, apud candidos Lectores sufficere videretur, quod ipse adversarius hoc 16.° cap. comprobavit, nimirum Astam rogantibus Episcopo Anselmo, et Gulielmo Marchione Montisferrati, ab Imp. Federico fuisse destructam, eo quod Cives illius, eos in Urbem suam velut missos, et Imp.is Locumtenentes recipere recusassent, et ob eam causam ab Othone Frisingensi, et Ligurino Scriptoribus antiquis rebellionis, et laesae Majestatis rei fuerint appellati. Tamen ut haec nec hoc capitulum suo responso vacet, sic dicimus. Admittit auctor Clypei Urbem Astam ab Imp. Federico fuisse flammis eversam, quod eius Cives Anselmum Antistitem cum titulo Legati Imperatorij venientem, ab Urbis ingressu prohibuissent, timentes scilicet ne sibi ab ipso Episcopo Regalia eriperentur, quae ab Imperatoribus se fuisse mercatos existimabant: Si res ita se habet, qua fronte excorsas inter Urbem, et Ecclesiam discordias inficiari possunt? cum Antistes illius Ecclesiae caput sua Sede violenter exclusus foris commorari cogetur?

Quo colore fucabunt crimen rebellionis? vel enim episcopum excluserant, quia Urbis dominium quod praecessores obtinuerant, affectaret, et hoc casu quis manifestam rebellionem non agnoscat? vel quod esset minister, et Legatus Imperatoris. Si hoc facere non dubitarunt in contemptum Caesaris ab aliquot annis ab Arnoldo Coloniae Archiepiscopo coronati, et ab Eugen. 3. et Adriano 4. Summis Pontificibus approbati. Quis Frisingensem, Ligurinum, et Beneuenutum Sangeorgium errasse, dum Astenses rebelles appellarunt dicere praesumet; nec idonea excusatio censenda est, quod Frisingensis esset uterinus Federici Avunculus, nec enim consanguinitas quam habuit cum Imperatore debitam scriptis illius fidem adimit, quae a plerisque Scriptoribus optimis circa res gestas Federici comprobatur.

Obiecta Capite XVI. Illustrationis.

Pag. 60. lin. 26. Quo colore fucabant crimen rebellionis? vel Episcopum excluserunt, quia urbis dominium, quod praedecessores, obtinuerant, affectaret: et hoc casu quis manifestam rebellionem non cognoscat? Vel quod esset minister, et Legatus Imperatoris.

Resp. Quod nullum fuit crimen; non fucabunt Astenses: sed reponent a veritate, imo a tui ipsius sententia, si ex fide eam promas, omnino abhorrere, quod Anselmus Episcopus civitatis dominium eo ipso tempore affectaret; quo Federicus universa Regalia Ecclesiis quibuscis, nedum Civitatibus concessa † (uti initio diximus) ad regium fiscum referre nitebatur. Unde tecum aperte mentitur tuus Ludovicus: qui loco a te pag. 57. citato, dixit: Astenses a suo Episcopo tunc rebellasse. Reponent praeterea, se sine nota rebellionis, potuisse non admittere eundem Anselmum et Montisferrati Marchionem, ad eadem regalia recuperanda delegatos. Quando quidem ea in re, Caesar non ut legitimus Princeps: sed ut Tyrannus se se gerebat. Dum nimirum, iniuste admitebatur a civitatibus illa auferre; quae istae ab antecessoribus Regibus iusto titulo acquisierant: et pacifice pluribus seculis possederant. Nam quod eadem met regalia legitime potuissent a Regibus civitatibus concedi; idem Federicus suomet facto confessus fuit, cum illa ante pacem anno 1177. cum Alexandro Venetiis initam, † seorsum viginti tribus civitatibus (quae proinde, non autem quod cum ipso, Antipapae adhaererent in † tabulis eiusdem pacis in eius parte numerantur) et post sex annorum (quibus de illis convenire possent) pactas inducias, caeteris civitatibus Lombardiae, in pace Placentiae ita, et ab ipso †† Constantiae solemni stipulatione vallata, confirmavit.

† Resp. 1. ad 661. in probo.

† Sigon. an. 11[77]

† Dat. Kal. Aug. 1177.

†† An. 1183. 7. Kal. Iul.

//

Pag. 66. lin. c. Quis Frisingensem, Ligurinum, et Benuenutum errasse, dum Astenses rebelles appellarunt dicere praesumet?

Resp. Imò quis hoc dicere non poterit de Frisingensi; si non quia patruus erat Friderici; saltem quia †1. ut ipsemmet memoriae prodidit, ea quae de iis scripsit, nec ipse vidit: nec ab aliis minimè suspectis, sed ex eiusdem Friderici Commentariis, (sibi ab eodem transmissis, ut illa elegantiori stylo exararet) accepit. Quis credat Ligurino? cui tanquam poetae quidlibet audendi (maximè vero in praepotentis, simulque impotentissimi Principis gratiam?) inerat potestas? Unde †. gloriabundus, in aula ipsius spatians se calamo Friderici causam egisse dictitabat?

†1. In Epis. Nuncupat. ad ipsum Frider.

†. sub finem poematis.

Benvenutus autem, siue memor incommodorum, maioribus, seu gentilibus suis ab Astensibus illatorum, dum contra hos Marchionis Montisferrati partes illi tuerentur: sive quod eosdem Marchiones Astensibus perpetuo infestos, celebrandos suscepisset: Astense nomen in sua tum latinè, tum Italicè conscripta Historia, apertissimè insectatur. In cuius rei comprobationem satis erit commemorare, quam malè habeat Astenses in Italicè scripta Historia, ubi agit de Victoria, quam Clypei auctor Telo VIII. refert, Astenses obtinuisse de exercitu Ioannae Reginae ad Gamellarium. Primum namque Benuenutus tacet, Marchionem illud bellum administrasse nomine Astensium, quae ut ipsorum †1. monimenta ferunt, ipsarum copiarum supremum ductorem eum delegarant. Sed cum eo bello perfunctus, civitatis dominium aucuparetur, imperium illi abrogarunt: unde innovata antiqua dissidia. Deinde ipse Benuenutus praecipuam laudem illius victoriae adeo non attribuit Astensibus, ut etiam de iis dicat: Quantunque gli Asteggiani molto villanemente si portassero ad ogni modo villanamente si portassero, ad ogni modo il Marchese il Marchese con li suoi, ottenne la vittoria: come si può vedere nel poema Provenzale, qui sotto posto. At re vera, ex ipso poemate oppositum evenisse certò constat Montisferratenses scilicet, ubi primum inter se acies concurrerent Siniscalchi ferocitate, et audacia perteritos, Marchionem suum turpi fugae, destituisse: Astenses verò, tanto ardore in hostes se irruisse, ut simul ipsum Marchionem à solis Papiensibus (qui Astensibus sibi perpetuo foederatis, numero quinque millium subsidio venerant) protectum periculo exemerint: et Siniscalcho, cum illius comitatu caeso, reliquum ipsius exercitum in effusam converterint fugam. Audi si Lubet, ipsum Poetam de Montisferratensibus ista canentem.

†1. Memm. Anselmi Asinarij et Iacobi Bocarnini.

Le Marquis ait maints Barons,
Montés sur leurs cheuaux legiers:
Qui d'une part se sont serrés
ensemble tous assemblés.

Mais quand ils virent le pouuoir
Du Seneschaut, et son valoir,
Tantost ils firent une retraite,
Qui fust une honteuse feste.
Per la †. pietaille Monferrine: † Acies Montisferraten.
Qui s'en torna sans tenir risme:
Et de la bataille sont issy, &c.

De Astensibus autem inter caetera ista.

Moult eut à faire le bon Marquis
Qui de tels gens est entrepris.
Mais ceux d'Ast luy foudront mie:
Ains qu'il soit nuict, fiere extermie
Feront enuers le Seneschaut:
Leur banniere dressant en hault
Vermeille; à tour la blanche Croix
e se criot a haute voix,
e vont ferir par gran teste,
tout au milieu de la meslée;
Pour aider le Marquis vaillant &c.

De Papiensibus vero, et Astensibus simul.

Pauuois se promainent lealment
et Astisans moult vaillement,
Aidant jean le bon Marquis.
Qui asse tost hauront conquins
Le Seneschaut preux e vaillant, &c.

Quos igitur dixit Poeta molt vaillement (hoc est valdè strenuè) hos Benuenutus, molto villanamente, id est valde turpiter, seu ignauiter, se gessisse dicit. et non quidem eorund. Astensium, et Papiensium, ut canit Poeta, sed sueuum fugacium Montisferratensium ope, victoriam obtinuisse Marchionem concludit. Quaenam igitur fides Benuenuto de Astensibus obloquenti, erit adhibenda?

Quis denique aequus Iudex Astenses inauditos damnet, quòd Friderico reniterentur: vel quod ab eius temporis quibusdam historicis rebelles dicantur? cum constet, ipsum tyrannicè in hanc, et in caeteras Lombardiae ciuitates, ea, quam diximus, de causa, ac etiam inuitum summi Pontificis, tandiu grassatum? Historicos verò eiusmodi, de aliis ciuitatibus, aeque ac de Astensi, ita locutos, non quia pro rebellibus eos re vera haberent: sed vel in Federici gratiam: vel quod Fridericus ipse, et eius asseclae ita illos vocitabant?

Sed ut omnem ex animis Lectorum ambiguitatem abstergamus, quid Ligurinus antiquus Poeta super hoc facto cecinerit, videamus.

Hos igitur populos (de cherio, et Asta loquitur) longo
iam tempore læsa.
Maiestate reos, toties frustraque citatos
Legibus iniuncta iam tandem plectere poena
Constituit rapidoque gradu petit oppida Princeps:
Territus hoste novo, sed non correctus in altos
Exierat populus trepida formidine colles
Irruit, et gaudens exercitus invenit omni
Oppida plena bono, spumantes nectare cellas
Horrea frumentis oleo spirante lagenas
Nec mora direptis potioribus oppida flammis
Tradunt: et validas evertunt funditus arces.
Inde recedentes non tantum criminis huius
Terreno sub Rege ream, sed iure supremo.
Damnatam proprii contemptu Præsulis Astam
Hostili terrore petunt quæ Cive fugato
Omni plena bono, victores ubere læto
Excepit, multisque viris, armenta diebus
Uberiora dedit, tandem spoliata, rogique
Tradita, perversi sceleris, geminique reatus
Pertulit immeritam sedes innoxia poenam.

Ludovicus ab ecclesia Ligurino suffragatur, dum primo libro suarum Historiarum Pedemontij ait:

Federico creato Imperatore, avendo dato una sua figliuola (credo intelligat Amitam uterinam) per moglie a Gulielmo vecchio Marchese di Monferrato, à richiesta di esso Gulielmo, ed Anselmo Vescovo d'Asti dell'anno 1154. con una potentissima armata venne in Piemonte, e distrusse Chieri, che al detto Marchese non voleva obedire, et Asti perche dal detto suo Vescovo si era ribellato. Nec Scriptorum nostrorum fides evertitur, sive fuerit Federicus qualem Gaudentius Merula, aliique Lombardi Scriptores depinxerunt male, scilicet in illum affecti, quod eorum patrias evertisset. Erat Rubrobardus lingua, studiis moribusque ipsis plane barbarus hoc est ignavus, perfidus, ferus, implacabilis, sive qualis à Cuspiniano, et aliis auctoribus nulla passionum caligine obcæcatis appellatur. Princeps manu, ingenioque strenuus cui ingentes animi, et corporis vires

inerant, robur, et agilitas par ingenio memoria pollens, ac valido consilio, statura procera et corpore compacto facie eleganti sed capillo et barba russa, affabilis, et mansuetus, et superbis solis infestus, liberalitatis egregiæ et multarum rerum peritia nemini secundus. Idenim non impedit quominus Astam urbem rebellem, et superbam destruxerit, nec eo tempore Tyrannus potuit appellari, nec enim si talis fuisset Papa Adrianus eodem anno illi veluti legitime electo Viterbium usque obviam processisset, nec Imperiali diademate Romæ illius tempora decorasset. Nec veritati consonum est, quod sequente capitulo scribit auctor Clypei Astam, et Cherium fuisse devastata, quod Umberto Comiti Sabaudiæ Caesaris inimico fuissent, nec enim inter illum Comitem, et Imperatorem ullæ tum temporis discordiæ intercesserant, (exortæ sunt postea scilicet anno 1159. cum Imperator Carolo Episcopo tradidit Taurinum, quod ad Umbertum pertinebat) imo illum Taurini transeuntem regio apparatu, ut tantam maiestatem decebat, Basilice excipi iussit.

Pag. 68. lin. 6. Nec veritati consonum est, quod scribit author Clypei, Astam, et Cherium fuisse devastata, quod Humberto Sabaudiæ Comiti Caesaris inimico suppetias tulerint.

Resp. Non authori utique Clypei, sed Pingonio cuius in illo verba referuntur, hoc tribuendum. Imo (uti Pingonius in margine notat) Taurinensis Archivi monumentis: quibus longe magis est deferendum, quam tibi; Qui invidiæ œstro percitus, etiam Cairenses hoc merito apud suos Principes, vis privare. Et Astenses hoc tuo libello, inter famosos merito reiiciendo, in eorundem Principum odium, novis igitur imposturis, adducere, tibi propositum fuisse, manifestissime ostendis.

Telum XVII. ead. pag. lin. 14. Sed a Federico expugnata Civitate, eaque solo æquata, restituitur.

Nec horum quidquam vere dictum. Non expugnata inquam civitas. Nam quemadmodum perennis fert fama (cui cum cæteris adstipulatur inprimis Frisingensis, dum ait de Federico, †. Astam inde pergens, vacuam non opibus, sed habitatore reperit civitatem.) Astenses Cairensium infortunio edocti, ac munitionibus diffisi, quippe quæ ut ait †. Alferius, in sepibus, seu vallis tum consistebant, mulieribus, ac cætera imbelli turba, ultra Tanarum amandata, ipsa urbe demigraverant, ut armis aperto marte, ingressum prohiberent hostili exercitui. Hic vero certaminis aleam subire detractans, conniuente Anselmo

†. De Gestis Frider. 2. 16.

†. In Memor. ad an. 1190.

per Castri portam ab urbe aversam, in ipsum Castrum; et inde in vacuam Civibus non autem opibus Urbem, antequam rem illi perciperent, nullo emisso telo, aut exerto gladio, pervasit.

Non etiam aequata solo Civitas, sed tantum direptioni permissa, et incendio. Quo nec omnino excidi aedes, (ut ex verbis Alferij etiam datur intelligi) nec deiici potuerunt turres: ad ipsummet incendium devitandum †. (quandoquidem coeteras privatas aedes non nisi ex trabibus, ac cratibus ad id temporis extruere licuerat) et in nobilitatis testimonium, in ingenti numero excitatae. Adde quod nec Fridericus eas, sicut Cairae fecerat, dirui mandaverat: nec id permisissent pauci dies, quibus ibi legitur immoratus. Non

† Sigon. l. 7. an. 973. et l. 9. 1106.

Non denique restitutus suae Sedi Anselmus: cui Castrum ipsum pro sede erat: cuique Astenses tanquam legitimo Pastori, in iis, quae huius muneris erant, parere haud recusabant.

Verum enim verò hoc loco, author parum benevolum se exhibet erga Astenses; non modo talia comminiscendo; sed etiam id reticendo; quod alioquin ad operis institutum maximè pertinebat. Nimirum Aenobarbum in Cairenses, et Astenses potissimum commotum ea de causa, quam Sigonius his verbis innuit. † Conventu in Roncalas mense Decembris coacto, cum Caesar querelis Italicorum audiendis de more vacaret, in primis Marchio Montisferrati factum Cairensium, atque Astensium insimulavit. Pingonius autem explicat dicens: † Anno Christi 1155. Humbertus Sabaudus Federicum Aenobarbum Italiam ingressum, Taurini excipi iussit: ipso autem apud Sabaudos degente. Cumque tunc Carolus civitatis Episcopus Sedenco (ut aiunt) cum Umbella, comitante Clero, obviam fuisset, Caesar ideo imperialia iura Episcopo in civitatem (absente nec audito Sabaudo) contulit. Reclamant populi: obstat Sabaudus. Huic Cairenses Astensesq. vocati favent. Hos Caesar potentior igni dat, et direptioni. Haec Ping.

† Idem l. 9. an. 1154.

† In Aug. Taur. ca Archiv. Civit.

Nos verò in huiusce rei mentione, iis responsis (quae Episcopalem reverita dignitatem, intra limites iustae defensionis, quam et titulus ipse praesefert se continuere) libenter finem imponimus. Inde enim liquet, quam propenso animo iam multis ante saeculis, fidelitate erga Regiam Sabaudiae domum praeluderent Astenses. Qui idcirco certa spe nituntur, hisce clementissimis Principibus huius Civitatis incolumitatem, et decus semper cordi futura.

Ad Cap. XVII.

Cum superiore Capitulo ostenderimus, quemadmodum Federicus iusto furore accensus Urbem Astam destruxerit,

superest, ut hoc ultimo Cap. demonstremus, num per nos à veritate discessum sit scribentes lin. 14. eiusdem pag. 167. Sed a Federico primo Imp. expugnata Ciuitate, eaq: solo æquata restituitur; adversarius ex hoc nostro loquendi genere Astenses suos ternas offensiones arbitratur accepisse. Primam cum dicimus expugnatam à Federico Ciuitatem. Alteram cum solo æquatam. Tertiam denique cum addidimus causam, quæ impellente Federico populum Astensem tanta crudelitate puniuit. Quam licet Sigonius, et Pingonius expresserint, nos tamen ea maligno (ut ait) silentio suppressimus. Ad primam ait, quod si verum scripserit Frisingensis nempe quod Federicus Astam procedens, vacuamq. non opibus, sed habitatore reperiens Ciuitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam, direptioniq: dedi. Qua ratione fieri potest, ut eam Imperator habitatore vacuam per vim expugnarit? Deinde (ut ex Alferio colligere est) tum temporis Asta non muris, sed Sepibus cingebatur: præterea si Castellum Episcopo Cæsarianæ partis amico parebat, nulla difficultate nequidem strictis gladijs in Ciuitatem per arcem irrumpere potuit Imperator. Ad secundam ait. Si Asta tantum igni, direptioniq. data est iuxta Frisingensem, nec eius turres funditus dirutæ sunt, iuxta Alferium, qua ratione dici potuit solo æquata? Postrema denique querela hæc est, quod cum scripserint Sigonius infensum Cherio, et Astæ Cæsarem non aliam ob causam, quam ob querelas Marchionis Montisferrati in Comitijs Roncaliæ mense Decembri anno 1154. celebratis, et Pingonius duorum illorum populorum cladem, et ruinam non aliunde profectam, quam quod Vmberto Comiti Sabaudiæ propter Carolum Taurini Episcopum Cæsaris inimico fauorem, et suppetias attulissent, nos eam in Chronologia nostra reticere non oportebat. Ad primam obiectionem respondetur, quod Otho Frisingensis cum repertam ab adueniente Federico scripsit vacuam habitatore Ciuitatem, intellexit de populo inermi, et ad bellum minimè idoneo, quod ipsamet Alferij verba ab adversario adducta clarè testantur: Astenses (ait) mulieribus, et coetera imbelli turba trans Tanarum emendata ex Vrbe demigrarunt ut armis et aperto marte ingressum perhiberent hostili exercitui. Aptus .n. ad arma populus emissis cum pretiosiore supellectile mulieribus, senibus, et pueris partim in Castellum nouum, ut scribunt alij, omni sublato impedimento, remotis clamoribus, et fœmineis eiulatibus, qui non exiguæ molestiæ, et pugnantium animis, non paruo detrimento esse solent ad defensionem Vrbis accinctus, siue intra, siue extra muros, ut hodie plerumque fieri solet, ad parandum sibi per vim in Vrbem ingressum hostilem exercitum coegit: nec nostra multum refert, siue per arcem, siue per portas, siue per muros patuerit ingressus, quos non ex Sepibus, sed ex //

Lapidibus, et lateribus coctis constitisse constanter affirmamus; quod enim scribit Alferius contigit anno 1190. post illatam a Federico cladem. Etenim si aliter res se haberet, opus non fuisset teste citato Murena, ut Marchio Montisferrati iis diruendis unà cum multis Turribus operam daret, ut dedisse perhibetur. Federicum non citrà pulveris iactum Astam ingressum esse testantur Tracagnota, et Petrus Messia. Ille ait scribens: E perche Asti, e Tortona se li volsero opporre prese e l'una e l'altra per forza: la prima abbruggiò, e nella seconda un mare di sangue sparse, e quasi desolò del tutto. Itaque cum hi scripserint Astam, ut se tueretur arma sumpsisse, et per vim ab Imperatore expugnatam. Quid de nobis idem scribentibus conqueritur? Sed ad secundam querelam transeamus. Admittit Astam a Federico igni, direptionique datam fuisse, non æquatam solo, aliquot adhuc turres, et domos per direptionem stetisse affirmans. Ita rem successisse confitemur; sed si domus ut ipse Adversarius non negat, maxima ex parte ligneæ erant, quid impedimento esse potuit, quominus eas ignis non depasceretur. Itaque licet nonnulla ædificia remanserint, certè capitaliter à nobis erratum non est, cum diximus solum æquatam. et hoc loquendi formula usus est Cuspinianus Auctor gravis in vita Federici eiusdem agens de Dertona, quam etsi supradicti Auctores Tracagnota, Messia, et Morigia dumtaxat affirment maxima ex parte fuisse destructam, et Sigonius de ea sic dicat: Federicus urbem ingressus primum direptioni deinde incendio pervastavit. Tamen ipse Cuspianus ait: Astam diruit, Dertonam multum rebellem incendit, et solo æquat. Sed quid expugnatam et destructam a Federico Astam fuisse tot testimoniis ostendere laboramus? Si Doctor Panis Astensis rerum suæ Patriæ peritissimus in quadam nota memorabilium successuum in illa, quam nobis præfatus P. Malabaila communicavit, scripserit in ea Civitatis Astensis per Federicum facta desolatione supra octo millia hominum nobilium, et plebeiorum ferro cecidisse. Quod equidem non contigisset, nisi per vim capta, et poenè penitus destructa fuisset.

Obiecta Capite XVII. Illustrationis.

Pag. 71. lin. 16. Si Panis Astensis scripserit, in ea Civitatis Astensis, per Federicum facta desolatione, supra octo millia hominum ferro cecidisse.

Resp. Non de priori invasione Astensis urbis, facta à Federico anno 1155. Loquitur Memoriale à Pane citatum. Tunc enim, ut ait † Frisingensis, vacuam non opibus, sed habitatore reperit Civitatem. Idque ratione in Clypeo allata, ac eo magis comprobanda, quod uti supra monstratum fuit, eandem Urbem circiter centum millia mortalium incolebant. Quibus præter coeteros, accesserant pro more, incolæ quadraginta septem villarum, seu pagorum Astensis Districtus. Loquitur ergo Panis de alia invasione, anno 1184. nec opinato facta ab

† Citato c. 15.

exercitu qui a Federico in Germaniam proficiscente, relictus in Italia, in civitates Alexandro inhærentes debacchabatur: quemadmodum etiam tradit Calchus: et meminit † Baronius. In quibus civitatibus fuisse Astam, usque ad pacem anno 1177. inter Alexandrum, et Federicum Venetiis initam, probant verba supra allata ex Ventura: † asserente eo ipso anno Federicum obsedisse Astam. Unde minime mirum, si huius exercitus in illam eo anno 1164. tanta immanitate sic efferatus. Hocque non in mortales tantum, sed et in ædificia; cum iactura præcipue scripturarum. Inprimis vero diplomatum Regum Italiæ: quibus anno 1159. † uti sub initium diximus, Friderico probaverant Astenses, se iusto titulo, ab eius antecessoribus Regalia quibus tum potiebantur, acquisivisse. Quod hic explicandum diximus: ut magis ac magis, et Astensium constantia in tuenda legitimi Pontificis causa, elucescat; et Lector dignoscat, num vere, an secus hic author, capito quinto dixerit: † Astam ex quo libertatem a Federico acceperat, fere semper pro Imperio contra Ecclesiam dimicasse.

† Ad an. 1164. ad eund. annum. 11.

† Cap. 5. v. 2.

† Re. p. 1. ad 66. in Prol.

† Pag. 24. lin. 16.

Denique ut ultimæ obiectioni satisfiat, dicimus non suspectam a nobis omnes illorum temporum successus referendi provinciam, nostri muneris fuisse referre ea tantum, quæ ad Anselmum Episcopum pertinebant; et quemadmodum sub antecedentis Cap. finem ostendimus cum cladis Astensis tempore nullæ adhuc ob Taurinum inter Imp. et Umbertum Comitem essent discordiæ, fieri non posse, ut Asta tantam cladem acceperit propter adductas ab adversario cum Pingonii testimonio rationes. Huic Operi metam imponimus, testamurque volumusque, ut quicunque Scripta nostra lecturus est sibi persuadeat, credatque firmiter nos nullo livore, nulla malignitate adductos, ut Author Clypei demonstrare conatur ea, quæ tum in Chronologia nostra, tum in his responsis continentur exarasse: sed quia ad integram Historiæ cognitionem, quæ omni larva, et fuco carere debet, censuimus esse necessaria, et ut sinceris Lectoribus exploratum esset, licet in Chronologia nostra citati non sint auctores, nos tamen nihil scripsisse, quod auctorum, et Scriptorum testimonio comprobatum non sit. Equidem si quid e calamo nostro prodijt, quod antiquorum Astensium nomini aliquam ignominiæ notam inurit, non ideo Lesimus Successores. Nec non recentiores Romani ullum inde dedecus derivasse arbitrantur, ex coniuratione Catilinæ, ex barbaris immanitatibus Martij, et Syllæ, vel dominante Triumviratu, ex parricidio Cæsaris, quæ omnia facinora ab eorum maioribus perpetrata, nemo est qui inficiatur. Idem de aliis Urbibus, et Provinciis dici posset, cum unicuique regioni, et Urbi sint suæ laudes, suæ labes. Nec historicorum, imo potius adulatorum nomine digni viderentur, qui nulla labium habita ratione, solas laudes commemorarent. Nec hoc impedit, quin confiteamur Astam inter primarias olim Lombardiæ Civitates potentia floruisse, omnibusque Sæculis

familias, virosque et nobilitate, et divitiis insignes protulisse, quales et nunc habet aliarum Sabaudæ ditionis urbium nobilitate non inferiores: non inde tum sequitur illorum maiores impellente dominandi, et amplificandi imperij cupiditate, eas artes, et violentias non patravisse, quæ propriæ illorum esse solent, qui ex aliorum ruinis suam erigere potentiam pro virili contendunt.

Discussionis Conclusio.

Verum supervacaneum est, iuribus nostris tuendis diutius immorari. Res enim per se ipsam loquitur. Et unicuique, vel mentis impoti, perspicuum est, eam penitus esse iacentem, et mortuam historiam, cuius vita, quæ veritas est, invidiæ, odiique lethali veneno extincta sit. Et sicut inanima quæque putrescere, et grave olere necesse est; ita et historiam veri nesciam, veluti corpus anima carens, tabescere, et legentium naribus contumeliosæ detractionis foetorem redolere, omnino oportet. Si Magisterulus noster, sive is, cui inscribitur Illustratio hæc a laboribus suis stipendia retulit: suisque historiis egregium hunc titulum comparavit, nonne omnium sententia, dicendus est ipsemet facinoris sui ultor: dum tanto, tamque gravi propriæ famæ dispendio, inanem et futilem gloriam est aucupatus? Evanescat igitur mentitus Illustrationis titulus, tam male consonans operi, quantum tenebræ differunt a luce. Et nostræ Discussionis, ipsimet innixæ veritati, coruscanti fulgore, caliginosa illius disiiciatur compago: quo Lectoribus notum fiat, veram gloriam, et illibatam nominis celebritatem, non ab incenso Dianæ templo: sed a solidæ virtutis numine mutandam esse.

Msptum hoc constat folijs 62.
et attinet ad Chirurgiæ Professorem
Vincentium [illegible] Salutiensem.

1775

&L:9-

Dell
Famig
Saluzz
jllustr
Præsul